



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Universitätsbibliothek Paderborn

Modesti Tavbengall Apologeticus Adversus Umbras Oratij Melliti

Hansiz, Marcus

Pragæ, 1723


urn:nbn:de:hbz:466:1-39569




Th. 1394.

27. 1.

o





MODESTI TAVBENGALL
APOLOGETICUS

Adversus Umbras Oratij

MELLITI

PRO FAMA

A.R.P. GABRIELIS HEVENESI

ET

UNIVERSÆ

SOCIETATIS JESU

In causa Libelli, qui CURA SALUTIS
inscribitur, Præcipiens Methodum de
Statu vitæ maturè ac pruden-
ter deliberandi.



Coll. S. d.

Badj

M. M.

PRAGÆ,
Ex Officina WEIDMANNIANA,
Ao, M DCC XXIII.

*A. RR. & Eximijs è Societate Jesu
Patribus & Fratribus.*

DEdico vobis hoc opusculum, quia pro
Vobis. Famam tueor Vestram, quia Vos
non defenditis. Habete præmium modestiæ.
Fama vobis necessaria est: Vobis? imò alijs,
quorum Saluti servitis. Nihil facilius, quàm Fa-
mam Vestram defendere, quia opera Vestra testi-
monium perhibent de Vobis. Molestè forsitan
operam meam accipitis, metu, nè crabrones ex-
citem. Ne timete. Si excitavero, compescam.
Quid autem? nonne per ipsum silentium vehe-
mentius excitantur? Satis estis, reor, experti.
Audent, quia siletis: Calumnias inferunt, quia
non refertis. Res indigna! Si adhuc filere decer-
nitis; at non non ego, qui ferre insolentiam tan-
tam nullo modo possum: Et quos tandem no-
vos excitabo crabrones? nonne ità sunt modò,
ut excitari virulentiores haud possint? Prodiit
Libellus famosus annis ab hinc aliquot: prodiit
anno nuperno alter priore fædior. Sub incude,
ut jaçant, sunt alij. Bellum Vobis apertè denun-
ciatum est. Cantantur de Vobis triumpho, osten-
tantur plagæ, in faciem jaçantur dictæria, am-
plificatur invidia Vestra apud omnes ordines,
firmatur & hæret sinistra opinio, insultant Vo-
bis, tanquam nè hiscere audentibus, inimici,
animos Vobis lapsos petulanter obijciunt, gras-
santur in fama Vestra tanquam in pascuis libe-
ris securo proboscide, suòque quasi jure in vestra
ignominia stabulantur; quin ex ipsis sacris pul-
pitis appetimini, quid amplius expectatis? Siletis
tamen: atqui silentium non modestiæ, sed con-

scientiæ, sed formidini, sed inopiæ defensionis
tribuitur. Siletis? atqui sic petulantia & calum-
niarum nullus erit finis. Adhuc siletis? Nempè
stat cum Apostolo per infamiam & bonam fa-
mam eniti ad palmam. Piè, sanctè, religiosè. At
non committam ego, ut abutantur alij patientiâ
Vestrâ. Dixi nihil esse facilius, quàm famam Ve-
stram defendere. Quidquid enim objectatur Vo-
bis, vetus est crambe, millies diluta. Effudit in
Vos dudum vires suas omnes calumnia, hebeta-
vit aciem, consumsit tela, ammissoque ut vespa
aculeo torpet. Et hi tandem crabrones, quos ti-
mere oporteat? explodendo vincuntur. Est au-
tem, ob quod crabrones, qui hodie circumfre-
munt, sit necesse compescere. Primum Castiga-
tio Calumniatoris, qui famam Vestram dereli-
ctam, & primi occupantis putavit. Deinde invi-
diæ, ac sinistra opinionis, quam ille de Vobis af-
fricare conatus est, abstersio. Tertium vindicatio
famæ Religiosissimi Viri, qui Decus fuit Societatis
JESU, quem nefas est post fata desertum indefen-
sumque relinqui. Faciam igitur, quod Virum pro-
bum, æquiq; amantem deceat. Vos Admodum
Reverendi atque Eximij Viri officium meum
gratuitum, ut non ingratum habebitis, sic ita à
me peragi sentietis, ut, quod DEUS faciet, non si-
tis crabrones, quos admodum timeatis, habituri,
faciamque inò, ut adversarius, quam Vos, cra-
brones sibi excitatos intelligat. Valete & mei ad
Aras mementote.

Honoris Vestri

Studiosissimus
Modestus Taubengall.



Ad Lectorem.

Venit nuperrimè (utinam priùs venisset) ad manus meas Libellus ficto nomine editus Annò 1721. contra opusculum R. P. G. H. è Societate JESU, quod *cura Salutis* inscribitur. Authorem statim agnovi, uti Corvum ex voce ; eundem quippe , qui jam aliàs similem Libellum tanquam sui ordinis partes agens contra id opusculum ediderat , nempe *Oratium Mellitum*. Pervolvi Libellum obiter, & eandem cran bem, quam in primo, hic de integro recoctam, multa præterea in Almam Societatem JESU ineptissime scripta, & puram putam animi passionem manifestè prodentia deprehendi ; quæ, ut verum fatear, horis pomeridianis cum contubernali meo, instar gerrarum trivialium nonnunquam prælegi jusseram, cachinni captandicausâ. Est enim quiddam jucundum, vidère homines insolitâ quadam perturbatione & mentis extasi laborantes, quomodo jam fremant, jam furant, jam Cœlum ac Terram permisceant, mox iterum velut animo linquente ejulent, terram supplodant, atque rursus oculis in Cœlum veris opem Superum implorent ; jam hanc, jam illam in partem irruant, ubique impingant : Aperto ad aures usque ore velut magnum quid crepaturi adsint, & hiantes in ipsa loquendi molitione destituantur : Sic Herculem furentem, Sic Medeam cruentam, sic alia comœdiarum & ludorum artificia, affectuúmque turbatorum imitamenta non sinè gustu animi, voluptatèque spectamus, præsertim si

nullum periculum majoris alicujus rei orituræ prævideatur. Quod verò in fictis & umbraticis, idipsum multò amplius in veris hominum à se exorbitantium affectibus aspectare jucundum est, præsertim ijs, qui Serijs identidem distracti, obvenientibus istiusmodi laxamentis magnopere capiuntur. In quo tamen ille manet sapientem fructus, æstimare, quàm turpe sit, quàm scædum, hominem rationis compotem ità affectibus suis abripi, adeò in verba ac gestus indecoros erumpere, adeò parùm sui potentem esse, ut ex ore, ex oculis, ex toto vultu, quin omni ex motu signa hominis de statu mentis penè dejecti appareant: Fœda res, attamen à nonneminè magno Sapientiæ proventu Spectata; cui, ut scimus, ad iram refranandam profuit, hominis irati speciem aliquando spectasse.

Libellum igitur, quem dixi, aliquando per otium volutabam, illudque cum familiari meo sæpenumero conferebam, mirari me sanè, quid esset, quod Inclyta Societas JESU, cujus honor & fama eo opusculo vehementer petebatur, ad omnia tamen pisce magis obmutesceret, ad ejusmodi clamores ei in ipsam atrem ingestos, surda tamen permaneret: Quæ cum & Pylades meus capere satis non posset, præcipuè quòd satis intelligebamus multos ex eadem Societate in provincia tum Austriaca, tum Bavarica alijsque fuisse, quibus calamus magnopere pruriebat, ad nœnias istas non tantùm refutandas, sed in anthoris etiam pudorem luculentum regerendas: Id unicè causabantur, ligatas esse manus; Disciplinam jussúmque superiorum in causa esse, quo prælium conferere vetarentur illud in paremiam usurpantes: *Vinco seu vincor, semper ego maculor*; tum & pacis atque ædificationis publicæ rationem habendam, qui fructus nonnullà etiam patientiæ modestiæque difficultate Sapienter redimeretur. Hæc cum ità inter nos ego sociusque meus agitarem, subit, impulsu, nescio quo, animum meum cogitatio, quâ simul
in


in linguam delata, quid, inquam, si ego veritatis æquitasque causam mihi tuendam sumerem? Est mihi ad similia ludrica pectus minimè pavidum; & hostem, cum quo mihi esset agendum, nemo admodum magni facit, certè iudicium ejus omnes accusant; ut mihi porro non magno negotio debellari, profligarique posse videatur. Certè argumenta, quæ legissem, adeò esse futilia, adeò nullo Dialecticæ vinculo compaginata, ut uno alterove intorto telo velut scopæ dissolutæ seipsis in mera ramenta sint abitura: Tum si acrimoniâ certandum esset, suppetitura mihi abundè verba, queis hominem à capite ad calcem veris scitisque coloribus expingerem; verùm hanc non esse eruditorum stylum, quibus illud alterum potius solenne, ut rationibus & ingenio, quàm vetularum rabidarum, puerorumque trivialium vocabulario in ejusmodi congressibus uti malint, cætera Melampodi permittentes, ut ea levato pedis crure conspersa aspernetur. Hæc cum ità differerem, subridens necessarius meus, næ tu, inquit, rem sanctam facturus esses, si hominis fremebundi, atque in omnes licenter incurrentis capiti ac cornibus freenum illigares ejusque, qua velut alpha eruditorum ebrius incedit, gloriæ effumanti frigidam affunderes: Rectè sanè non de Societate tantùm JESU, quam indignissimis modis homo nupernus accipit, sed de alijs quòque Religiosis, imò & secularibus, quibus ejus ramus & insolentia intolerabilis est, esses meritarus.

Atque adeo non diu deliberans, otium, quod inter assiduos reipublicæ labores parcissimum mihi est, tantillum tamen huc seponendum exstimavi. Vocato igitur librario meo famulisque missis factis hæc, quæ deinceps proferentur, desultorio labore in calamum dictavi: Quæ à Te Lector, non eo animo legi velim, ut speres me paribus argumentis, id est scommatis, ejulationibus, execrationibus diris in Mellitum erupturum; nequaquam enim vero: Indigna hæc genio, calamòque meo; indigna ingenio.

Multòque minùs in ejusdem famæ diminutionem, aut contumeliam (quod noxam alioqui gravissimam Christiani ducimus) aut ipsius, aut Sanctissimæ Religionis effutitum : Argumentis & rationibus agam, tum & modestiâ scribendi sinè dubio vincam; quam victoriam homini In-
 genuo longè potiozem, quam illam alteram, quæ mordendo conspurcandòque transigitur, judico. Cæterum quod ego, qui in seculo dego, hæc talia mihi sumpserin, causam accipe: Delictum non religiosum ab seculari Christiano pudesceri debebat, quidve ab ipso vel Christiani hominis officium, nedum ratio status religiosi exigat, ab seculari discere: Maximè verò me impulit officium, in pientissimos Sancti viri manes, quos homo humanitatis omnis immemor vel in sepulchro vellicare, & inquietare non erubuit, hominisque famam immortalis memoria dignam ignominie postremæ addicere, id quod mihi peculiari quodam, quo eram pijssimo viro In vivis adnexus, necessitudinis, æstimationis, beneficiorum vinculo, tolerandum minimè videbatur. Requiescat in pace vir Sanctus, & laborum suorum, quos in omne genus hominum, præcipuè in manu-
 ducenda ad salutem juventute posuit, fructu gaudeat in perpetuas æternitates! obmutescant ora loquentium iniqua!



Ad



Ad Mellitum.

TRia sunt hominum genera, quos etiam probra & scommata ingerentes nè responso quidem dignari solemus: Stulti, infantes, ægroti. Quoniam horum numero te Jesuitæ habeant, cum tibi ad tuas calumnias adhuc respondere supersederint, ignoro. Ego certè ne te putes adeò nauci ab omnibus fieri, vir tot anecdotis clarus, sustinere haud potui, quin tibi, alijs etiam tacentibus, pauca responderem: gratissimum tibi credo facturus; quòd habeas aliquem, qui ad tuas gerras animam nonnihil advertat. Hoc certè vidèris unicè exhibisse, cum uno libello edito non contentus etiam secundum altero magis ridiculum adornaveris, & vir negotijs literarijs adeò obrutus tamen te adeò fatigare sustinueris, eo tantùm, ut apparet, sine, ut esset alienus, qui pensi tuas nugas haberet, in te commiseratio. Desiderio igitur tuo deferendum, & quoniam aliòqui risum & joca mihi captæ solenne, nonnullam inter umbras tuas diversionem animi aucupandam putavi, ea scilicet ratione, qua solemus hominum aliena agentium & loquentium mirabiles actiones libenter spectare, & ex furijs ac rabie talium hominum risum & cachinnum captare. Jucundè igitur & hilariter hoc opusculum mihi fluxit; & quidem ut gustum voluptatemque animi mei intelligas, adeò properè atque celeriter, ut nec dimidij mensis plenum spatium in eo concinando consumpserim; id quod facile ex stylo vibrato, ac vo-

Incri, cogitationibusque uno velut anhelitu excurrentibus intelligere poteris. Serijs enim, cum alioqui sim valde occupatus, nefas putabam, risu & jocis nimium temporis subtrahere. Quamvis autem, ut dixi, risum & jocum captaverim, tamen cepit me aliquando miseratio tui, ut qui vir Religiosus talia mihi posse scribere non videbaris, nisi morbus mentem tuam vehementer depresserit. Proinde operam dedi, ut siqua forte possem, te tibi redderem, et qua adeo excidisti, commoditate mentis, præclaro certe beneficio, te cumularem. Quod utrum assecutus sim, ex eventu patebit: Cæterum inter umbras & nugas tuas non semper nugaciter, sed sæpe valde serio versatus sum & tecum tanquam cum homine intelligente locutus, quod nolim à quopiam sic accipi, tanquam arbitratus essem, homini statum commodum jam rediisse, sed feci in aliorum gratiam, ut qui forte cum maxima illius injuria eum sanè loqui putabant, manibus palpent esse meras umbras. Tu interim mi ægrote, gratum habebis, quòd curationem *muscarij* tui susceperim, & licet modo, dum adhuc furij & umbris æger es, id molestissimè sis latrus, tamen cum sanitas redierit, medico & incisori gratias ages. Curatio porrò tali modo instituetur, ut primò fumum, qui tuum caput valde obnubilat, discutiam; deinde, ut muscas, quæ in cerebro tuo velut in Apiario, integra examina, nidificarent, teque miserum in modum torquent, dispellam: postea ut inflammationem cordis, quæ tibi febrim etiam rationis induxit, idoneis refrigerantibus sopiam. Deinde, ut glaucoma, quod oculos tuos obduxit, succo nonnunquam morsicante, mox iterum lenimentis abstergam. Guttur item tuum, & linguam humore bilioso penitus opletam dulcificare conabor, melle identidem ingesto, tum & labia & dentes & præcordia sæpiuscule inungam melle, manus item tuas et digitos extremos, quibus ad scribendum uteris, quin & calamum & atramentarium, quæ manibus assiduò versas, denique & oculos, quibus lites, &

nares, quas corruptissimas habes, & supercilia, quæ rigide nimium tollis, & mentum maturitatis index, & denique totum caput melle perungam, ut jam sicut es nomine, sic & re fias totus *Mellitus*, id est dulcis, non acerbus, mansuetus, non furiosus. Ne tamen possis modestiam accusare meam, videbis in toto decursu me valdè politè, decenterque loqui, tecum ludere potius & joculari, quam seriò certare: Te proprio nomine nunquam appellabo: Ordinem tuum sanctissimum, cui utinam majori decori esses! semper omni laudum & venerationis genere prosequar, non sic, quemadmodùm tu cum Societate JESU egisti. Argumentis dicta mea, non scommatis, non calumnijs stabiliam; alios ejulatus, invectivas, exprobrationes, insultationes, quæ tu fecisti, nequaquam ut a me fiant, committam: Qui enim ægrum curare vult, sanus sit, necesse est. Omittam multa, quæ dicere possem; alia leniùs, quàm mereantur, efferam. Quod autem in risum & cachinnum tuas omnes ineptias convertam, hoc tu certè contumeliam non interpretabere, quandoquidem non possit esse melior dictorum tuorum tam furiosorum acceptio & interpretatio, quàm ea non ex malitia, aut deliberata mente, sed ex profunda animi ægritudine deliquium inducente, esse profecta: Ex quo ille etiam fructus & bonum proveniet, ut homines, qui tuas rabies & umbras legerint, non adeò offendantur & scandalizentur, reputantes ea non ab expedito, aut exoneratæ mentis homine, sed ab ægro & attonito esse prolata, de quo scilicet spes sit, si ad mentem redierit, meliora & sensurum, & locuturum; tum nè A catholici arbitrentur inter Religiosos inveniri tales, qui præsentè animo præditi sustineant, tam absurda & enormia scribere. Sic & invidiam à te omnem avertam: Ægroto cum omnes libenter ignoscunt, & satis calamitatum sustinere censetur, qui inopià judicij laborat. Sic autem totum opusculum dispescam.

1. Producam vitam & mores laudatissimi & Sanctissimi viri R. P. Gabrielis Hevenesi, quem, si omnes aliae causae scribendi deficerent, æquitas tamen flagigaret contra tot calumnias & contumelias defendi: ita enim habeo me perinde bonum piúmque factorum, atque si Sancti cuiuspiam injuriam mihi defendendam susceperim.
2. Ostendam, quòd, quæ scripsit, sanctissimè, rectissimèque scripserit, non impudenter, non scandalosè, non contumeliosè, non vertiginosè, ut Mellitus vociferatur.
3. Discutiam umbras Melliti, & ejus argumenta, quæ nulla omnino sunt, adeò, ut mirari satis non potuerim, homini sano gravia videri potuisse, diluam ad oculum.
4. Ostendam defectum & inopiam judicij, quàm Mellitus in utroque suo centunculo confarcinando laboravit.
5. Subiiciam allocutiones duas. alteram ad A. R. R. Societatis JESU Patres; ad Ampliissimos Præsules Melliti Superiores alteram; denique datis Mellito commodis præceptis concludam Opusculum.

Protestatio Authoris.

Protestor inprimis me nihil sinistri de quoquam Ordine aut quapiam ejus persona velle in præsens scribere. Mellitum quod attinet, cum is adeo non mel Atticum quin vel acerbissimum Jesuitis propinaverit, sibi tribuet, si absinthiten sibi à me credat aliquando misceri. Prope dixissem: Exedat, quod intrivit: nî, quemadmodum præmisi, puderet sudibus uti præustis, Lectorémque ad prandia fabrorum, aut ad poma vocare agrestia. Religiosus cum sit, nolui ludibrium facere, adeò ut nec ipsius, nec Religionis nomen edam ille

ille viderit, quâ conscientiâ potuerit Religiosissimos viros non jocularibus aut innoxiiis bracteolis, quibus ego eum excomam, sed planè seriis, famosis ignominiosisque strophis, ipse non laceffitus, mundi ludibrio totius, quoad in se erat, exponere.

Protestor secundò, me cum potuissim multò acriùs asperare Stylum, & par pari referre, non potuisse tamen ingenio aut ubertati materiæ, sed apiculæ in morem libasse Meliti mel in Summa duntaxat cute, fixo quandòque aculeo, non ad sensum profundum, sed ad scabiem potius perficandam accommodo, nullo odii aut vindictæ veneno: leviùs denique quàm oportuit. Quid ita? non ob meritum Melliti, aut quod ipse sibi fortè persuadeat, metum ejus aliquem, sed honoris & reverentiæ gratiâ, quâ in Sanctissimum ejus ordinem atque imprimis Amplissimum Monasterij Mellicensis Præsulem & egò feror, & inclitam JESU Societatem ferri scio, Virum; (quod non gratiæ conciliandæ do, sed planè spectatis ejusdem per Austriam, ac præcipuè Urbem Viennensem, quin exteras quoque terras Virtutibus) Virum inquam, quo Mellitus plane dignus haud est, moderatum, æqui bonique amantem, Sapientem, magnumque decus Ordinis sui, è cujus mente scio non fuisse scabiosum illum Pasquinum, quem Mellitus edidit; quin contrà multis occasionibus eum alio longè animo, quàm quo Mellitus optasset, in JESU Societatem & fuisse & esse, Scio eum detestari tumultuosa ejusmodi consilia; averfari, ut par est, studia contentionum; scio sic favisse literis & eruditioni inter suos promovendæ, ut tamen paci, concordiæ, denique virtuti potiora tribueret. Parum huic bonæ menti Mellitus respondit, Mellitus, ille tanta in laudem svavitatemque Obedientiæ perorans, re verò ipsa sic agens, ut fructus haud admodum jucundos lætosque Superioribus ferat suis, filiusque sit non gaudij sed doloris. Precor ut Ordini Sancto sic commodet, ut
non

non fovisse malum ovum Confratres reliqui aliquando gemiscant. Vapor & spuma stabile nihil habent : fumus etiam lacrymas elicit non alijs magis, quam qui eidem assident foco, eodemque lare versantur. Quid recti sperandum, si simius se Regem ferat? Protestor tertio me, quod erat muneris mei, in hoc præcipue incubuisse, ut errores nonnullos Mellito eximerem, inprimis, quo putavit se esse aut invulnerabilem aut adeo formidatum, ut ejus vim calami eruditionisque torrentem nemo sustineat : Se esse Leonem, cujus os radere nemo audeat : Lyras suas magni fieri ab hominibus eruditis, aut esse ejusmodi, quæ à nemine refelli possint : Demum quo putavit se esse præcentorem Choragumque coetus Philologorum, quo sibi existimabat licere, æstimationem sui, thus ac poplium imperare omnibus, & ni faciant, in morem cornupetæ quoslibet licenter impetere, summos, medios, Religiosos, Seculares, atque denique agere, qui vix pipiat, in senatu literario Dictatorem. illum maxime errorem ei demum oportuit, quo somniabat se timeri : quæ causa fuit, ut, cum alias essem longe mitius scripturus, ob hoc ipsum liberalius aliquantum incessem vellicaremque ejus cristas, ut ne videlicet, qui novus esset insolentiæ stimulus, timeri se aut observari putaret. Protestor nihil esse tui, quod extimescam Mellite, non nomen, non calamum, non halitum eruditionis, non iram, non furorem, non calcar, non tomos tuos, non crambes tuas, non scommata, non clamores, non foedera tua, nihil inquam tui est, quod reformidem, ingenium autem & judicium minime. Quod si tibi doleat, memineris idem evenisse ranæ, quæ cum clamoritate suâ freta chorum inter animalia ducere & leones percellere coaxando vellet, conculcata est. At repudium mihi daturus es amicitiamque renunciabis. Tuum jus esto, te amicum esse meum dedignari; at ego esse tibi dedignabor inimicus.


Proe-

Prooemium.

Opportunissimè mihi venit in mentem ejus, quod legi
 apud Ælianum L. 2. Histor. c. 12. planè in rem me-
 am, de socio quodam Anyti, qui ibidem disertè *Mellitus*
 appellatur. Struxerat ille cum aliis calumniam Socrati
 Viro Atheniensium optimo, modestissimo, justissimo, de-
 ditque operam, ut in theatro fabula factus insolentissimè
 traduceretur, ob id inprimis, quod diceretur sequiores
 quorundam opiniones in eos, qui ipsum audirent, inducere.
 Et erat comoedum maledicum secuta apud multos accla-
 matio: Nam & tum quoque, ut laudatus Ælianus
 subjicit, veram erat illud Cratini: Theatrum corda malè
 sana habebat. Adèò & Socratisuus non deerat Mellitus.
 Quid huc aptius? Socratem profecto memoriæ nostræ
 vexasti Mellite, & cum applausu nonnullorum ejus sarsuris,
 cujusmodi & inter Athenienses extitisse idem scriptor com-
 memorat, hominum invidiosorum, & ad optimis quibusque
 detrectandum, ijs inprimis, qui præ reliquis vitæ gra-
 vitate fulgerent, proclivium, eorum planè, quibus corda
 male sana: Et es decreto talium Mellite laurum forsitan
 palmamque promeritus: Verum enimvero non consum-
 mabis victoriam. Erat, quo repulit Sycophantam So-
 crates: quid illud? Spectandum se dedit.

Fiat hoc in præsentis: Spectetur
 Socrates.





CAPUT I.

Qui vir fuerit A. R. P. Gabriel
Hevenesi?

*Ex mea ipsius notitia, & gravissi-
morum omnis ordinis testium
relatione.*

In memoria æterna erit justus, ab audi-
tione mala non timebit. psal. I. I. I.

A. R. P. Gabriel Hevenesi natus erat nobili Hungaro-
rum progenie, in vicino Austriae comitatu Castri
ferrei, Anno 1656, 24. Mart. Parente inter suos conspi-
cua, & negotijs etiam publicis spectato. Matre femina
pienissima, cujus memoriam æquum est in Annalibus Au-
striacis, & omnium cordibus perennare. Tantum quip-
pe ejus meritum est in augustissimam Domum, quantum
nullæ nostræ prædicationes valeant rependere. Hac
enim est illa femina, quæ Augustissimum piæ memoriæ
Leopoldum Magnum ex præsentis mortis discrimine eri-
puit; intoxicata artocrea, quam noverat aut suspicabatur
scelere alterius feminae in vicino, ut notum est, prædio
Pottendorff apparatus, illa in latrinam abjecta, aliaque
ejusdem formæ substituta. Hac igitur Matre editus Ga-
briel cum lacte hausit fidelitatem illam in Augustissimam
Domum, quam per omnem inde vitam in omnibus nego-
tijs demonstrasse, compertum est omnibus.

Te

Teneris pueritiæ annis innocenter exactis in Societate JESU postmodum ita crevit ætate & Sapientiâ, ita in omni virtutum & literarum disciplina promovit, ita ob eximiam planèque singularem prudentiæ laudem omnibus, iisque primis atque Eminentissimis Viris in admiratione fuit, ut qui hac in parte ei detrudere quiddam, aut labem velit aspergere, omnium locuplete conscientiam refelleretur. Oculati, si nescis, sunt Jesuitæ in observandis invicem moribus, & quam juncti sunt quotidianam vitæ & negotiorum consuetudine, tam non imperiti virtutum, atque si opus sit, etiam nævorum minutulorum censores, Versatus est porro A. R. P. Gabriel potiores vitæ annos in luce Provinciæ Austriacæ, maximis quibusque munijs perfunctus; Tyronum, quod summi apud Jesuitas momenti est, institutioni præfuit annis undecim, Rector inde Collegij Academici, demum universæ per Austriam, Styriam, Carinthiam, Carnioliam, Hungariam, Croatiam, Transylvaniam extentæ provinciæ Præpositus, eam ubique Spiritus religiosissimi Sapientiæ, prudentiæque planè, ut dixi, singularis laudem retulit, ut sæpe mirarentur (neque hodie satis capiant multi) quo pacto Vir tantis distractis Societatis munijs & omnes officij sui apices explere, & præterea libros conscribere, & conscientiarum arbitrum, quod peritissime noverat, agere, unus par esset omnibus.

De arbitrio conscientiarum, ut memorem, nôrunt Viennenses olim qui fuerunt Academici (hac quippe in urbe ætatem virilem omnem posuit) quam sanctè, quam graviter, quam sapienter id officium gesserit. Accursus ad eum velut ad Parentem omnium fere adolescentum; quorum ille morbis quam dextrè noverit consulere, multi hodièque grati unà mecum deprædicant. Ad instillandam eorum mentibus solidam pietatem, fovendam tuendamque innocentiam conscripsit libellos complures, Spiritu & prudentia plenos, qui manibus passim teruntur,

& apud alienigenas quoque maximo in pretio sunt. Atque ut eo delabar, quod jam dudum Lector avebas, unde illæ lacrymæ, illæ Satyræ, quarum occasione hæc scribimus, ortum suum fortitæ sunt; Quoniam in eo dirigendæ juventutis negotio, quod instituti Societatis JESU proprium est, primas tenet vitæ in posterum instituendæ deliberatio atque delectus, Vir, ut qui plurimos annos in ea palæstra contrivisset, ita in hac parte perfunctus est, ut ex amussi impleret regulas, quas ipse animæ directori præscripsit, præfertim illam, quæ sic habet: *Acturus cum deliberante sit prorsus indifferens, nec DEUM præveniat, sed sequatur.* Hoc ille. Verum quia permultum interest ad ea, quæ in sequentibus dicuntur, ut penitus viri religiosissimi spiritus & scita, quibus ille hac in re usus est, pernoſcantur, juvat alias hoc in genere regulas adferre: sic igitur pergit:

Primum jubeatur deliberare, an in seculo manere velit. 2. an Ecclesiasticum statum assumere præstet. 3. an Religiosus Ordo ingrediendus? Deinde hac facta determinatione primo deliberandum proponat illi, qui v. g. secularem statum elegit, an militiæ? an œconomie? an juris vel medicine studio, &c. se addicere velit? vel si Religio illi præplacet, investigandum, qualis Religio assumenda? rationes scripto adnotanda. Non statim cuique impulsui credendum; permittendus est longiori tempore negotium hoc & rationes expendere; juvabit etiam, eidem

eidem quadam contra illum statum, quem deliberans eligere vult, objicere: ita tamen, ut positive nullum ei statum, maxime vero nullam Religionem dissuadeat.

Conetur ejus motiva discernere, an a DEO, an ab amore proprio, vel demone sint profecta? neque diu coram DEO considerata suum ei consilium aperiat, memor, quod hanc animam, quam DEVS ejus cura tradidit, etiam ab eodem sit repetiturus.

Si omnibus perpensis judicet vocationem esse a DEO, eligatur dies, qua deliberans conclusionem a se factam DEO offerat, proque ejus executione gratias petat.

Religiosum statum ingressuro ejus difficultates explicandas, suadenda tales corporis mortificationes, que illi statui prescripta sunt, ne nova illi deinde omnia videantur. Hucusque caput illud: In capite porro antecedente inter alia hoc præcipit: Quia status electio etiam ab alijs circumstantijs pendet, v. g. cujus genij, ingenij, valetudinis, virium, propensionis, &c. deliberans sit, expedit de his pariter duci suo notitiam dare.

dare. Pluribus hic non immoror, quæ alioqui in sequentibus redibunt: Hæc ejus gnoma: Deliberanti primum curam debere esse de anima. Mortem, Judicium extremum, Infernum, Cælum in consilium adhibendum.

Mundum, carnem, demonem hostes esse bonæ deliberationis.

Amorem DEI esse deliberantis cynosuram.

Hæc & alia ejus generis sunt pronunciata viri Religiosissimi, quibus, ut ad oculum apparet, nihil aliud quærebat, quam bonum, salutemque animarum; proinde neutiquam, ut nonnullis postea visum, ad hunc potius, quam illum statum quempiam invitare aut allicere, sed viam omnibus regiam pandere, qua neque ad dextram, neque sinistram declinent.

Et vero tantus ejus directionis apud adolescentes fructus extitit, ut quod viventium testimonio, posthumisque ejus tabulis compertum fuit, per eos, quo Viennæ degerebat, annos, Adolescentum numerus sane copiosus (fere quingenti) ad Religiosorum Ordines eo direttore sint promoti; neque ad Societatem JESU duntaxat (qui ejus numeri minima pars sunt) verum ad omnis generis Ordines, Benedictinos inprimis, Cistercienses, aliosque passim, quos non est necesse singulatim nominare. Et sunt haud pauci, qui hodieque Sapientiam viri mirantur & prædicant, qui cum Societatem enixissimis votis exambivissent, ab eo tamen ad alia potius instituta, quin & seculare sunt, gravibus utique de causis directi.

His

His igitur alijsque gravissimis in bonum proximorum per omnem vitam exhaustis laboribus, cum Provinciæ Austriacæ suis virtutibus & Sapientiâ Decus & ornamentum ingens, & commoda, quibus hodiè que fruitur, plurima Vir incomparabilis attulisset, rem in Hungaria Catholicam consilijs, quibus abunde pollebat, & autoritate apud Viros Principes, præclare adjuvisset (quo in loco non omit- tenda mentio Eminentissimi Sanctissimique Principis & Archi-Episcopi Strigoniensis Leopoldi à Colonits, qui quanti Virum hunc & in secretis animæ suæ, & in publicis Religionis negotijs constituendis fecerit, notius est, quam ut multis demonstratur: verbo: nihil majoris rei sine ejus consilio gessit, eo constanter usus arbitrio & conscientiæ & Sanctorum negotiorum) neque Augustissimi Imperato- ris Leopoldi Divi mediocris in eum favor; ut qui arcana haud pauca cum Viro experientissimo communicata voluit. Ipse porrò Vir sanè Religiosissimus nihil usquam negotij, nisi, quod esset ex Instituto, & ad rem seu Catholicam, seu commodum animarum spectaret, tractare sustinuit: præclaro semper successu, illo, quem sagacissimis ipse con- silijs expediebat; præterea æstimatione apud summos Viros ingenti, quibus hodiè que pretiosa ejus memoria. Certè Clemens XI. Pont. M. Virum iterato alloquio (Romam enim ab Austriacis Patribus Legatus Comitijs Societatis intererat) cognitum adeò suspexit, ut cum in- genti ejus encomio sæpiusculè apud Cardinales de eo mentionem intulerit. *Oculati Jesuite* nomine ab Roma- nis ornatus. Merita Viri in ecclesiam universam, præ- cipuè autem Hungaricam & transylvanicam perquam egre- gia; quod vel inde intelligas rarum profectò & illustre, quod, eo potissimùm operam conferente, Schismatico- rum Valachorum octoginta millia cum Ecclesiæ Capite in gratiam & unionem Catholicorum redierint; tanta tamen Viri modestiâ, ut omnia sub humilitatis obscuro condide- rit: quo ipso virtutis lucem intenderat adeo, ut multi

dicerent, se parem omnibus numeris tum pietatis, tum sapientiae, tum egregiorum in Ecclesiam & Societatem JESU meritorum per omnem vitae aetatem haud vidisse: Idem sui adeo negligens, ut nihil unquam in usum vertere suum aut commodum sit animadversus, illud in ore versans, quod opere planè præstabat: Sibi nihil, alijs omnia. In Deum, resque cælestes semper absorptus, sic tamen, ut nemo eo in pauperes beneficentior, in omnes affabilior.

His igitur positis aeternae memoriae monumentis, cum vires suas austeritate vitae, & macerationibus, quibus ad stuporem deditus erat, veste etiam cilicina, quæ in carnem increverat, ac præsertim vigilijs attrivisset, obiit plenus meritis Viennæ in Professorum Domo II. Martij Annõ 1715. sine vitae pientissimæ respondente, effigiem quoque, quod, nisi præcellentissimis inter Jesuitas Viris, fieri minimè consuevit, in Collegio, uti audio, Tyrnaviensi publicè propositam cum subscripto Virtutum elogio promeritus, Testes horum omnium (nè quid Stylo aut Rhetoricæ datum putes) sunt hodièque omnes Provinciæ Austriacæ Socij, multique exterorum unà mecum, qui virum noverunt. Sanctimoniam peritiamque rerum ad Spiritum pertinentium docent opuscula Ascetica plurima ab eo conscripta, stylo facili, nitido, ac cæleste quiddam redolente, quibus tamen suum nomen nunquam subscripsit, nisi quandoque primis literis G. H. non sane, ut non nemo per calumniam scribit, sequiori quopiam consilio, sed summi omnis declinandi studio, id reputans, in capite librorum, quod bellissime luceret, esse modestiam. Scripsit & congestit tomos in folio plurimos (centum & amplius uti intellexi) de rebus ad Historiam Ecclesiasticam Hungariæ pertinentibus, qui velut thesaurus quidam asservantur: quos tantum abest ut creatus postea Provincialis, cum commodissime posset, in lucem properaret edere, ut consummandi ejus laboris negotium, gloriamque inde provenientem mallet alteri

alteri cuiquam relinquere. Quæ alia sunt hujus Viri partite magis explicanda, quæ occulta & admiranda, non est hujus loci referre, quo consilium fuit, nihil nisi manifesta, aut publicis certe testibus facile adstruenda producere. Referentur tum, cum ejus Vita ex instituto, quod ejus Socios facturos credo, adornabitur.



CAPUT II.

Origo Controversiæ præsentis.

SED ut ad rem propositam propius accedam; Scripserat Vir Religiosissimus in eo opusculo, quod supra memoravi, & ex quo nonnulla huc pertinentia scita deprompsi, etiam considerationes nonnullas ad eandem telam, quam erat orsus, videlicet ad vitæ deligendæ deliberationem spectantes, quorum prima est de Statu sæculari. Secunda de Statu Religioso, quam apte partitur in eam, quæ est de Religione, quæ stabilitatem loci profitetur, deinde in eam, quæ est de Ordinibus, qui domicilium mutare solent, ubi considerationem subjicit de Societate JESU.

In his considerationibus proponuntur commoda & incommoda singulorum statuum, quæ vulgo & passim occurrere aut proponi solent. v. g. Status secularis commoda sunt, major facilitas, remedium fragilitatis, proinde minus periculum salutis, labores assidui, qui tentationes impediunt, cum vita religiosa videatur esse otiosa: Aliaque ejusmodi: Incommoda contra sunt, plura in vita seculari pericula, & pauciora remedia, multæ curæ & sollicitudines, aliaque salutis impedimenta.

Pari fere methodo pergit in aliis, proponendo videlicet commoda & incommoda. Scopulus, in quo Scriptor Apologeticus adhæsit, sunt inprimis ea, quæ Author producit de statibus stabilitatem loci professis, uti sunt Be-

medicini, &c. Quo loco, postquam complura enumerasset commoda, uti est antiquitas & celebritas Ordinis; non tantus rigor in mortificationibus; occasio DEO serviendi sine cura victus, & vestitus; plus temporis ad opera pietatis, citra fatigationem ex studijs; laus DEI per chorum quotidianum; spes exercendi Zelum in Parochijs; vita simillima vitæ Christi & Apostolorum; Occasio multorum bonorum in Prælatura; Commoda stabilitatis loci absque incommodis itinerum, desertionis amicorum, periculi valetudinis ex mutatione auræ; opportunitas edendis libris, &c. Postquam, inquam, hæc commoda à me libata enumerasset, transit more suo ad enumeranda incommoda: Hic Rhodus, hic saltus, hic fæda illa acroceraunia, in quibus virtus, prudentia, sobrietas, sanitas Authoris naufragium, si Apologistæ credimus, fato miserrimo fecerint. Hic *venenum mortiferum*, hic *vertigo propudiosa*, hic *insana dicacitas* hic *Pasquinus & Morforius*, hic *delirationes*, hic *atrox ignorantia*, hic *vertiginosus pseudoasce-tice abortus*, hic *religionum ceterarum omnium contemptus*, hic *scandalosa*, *injuriosa*, *impudentissima probra in suos maximos benefactores*, hic *tonitrua*, hic *fulmina*, hic *monstruosus vertiginosus capitis partus*, *publicè Carnificis manu comburendus*. Hæc totidem iterum atque iterum, atque identidem repetitis, ingestis, coacervatis, alio atque alio torno fabrefactis, variatisque verbis Apologistes.

Expectas procul dubio Lector grande atque immane piaculum, atque tale, quod nec negari, nec excusari, nec rogo decretorio subduci ullo pacto possit. Expectas quid in tanta nominum bellulorum procella mihi animi, aut frontis; quid in tam prædamnato, luce atque orbe palam; sacrilegio, in tam manifesto flagitio mihi supersit audentiæ. Tam horribilis aggressionis impetus quem non dejiciat? ruentibus in adversantem tam enormibus tam exaggeratis conviciorum plaustris.




CAPUT III.

Quid sentiendum de modo scom- matico Meliti?

ANtequam in arenam cum his monstris descendam, paucis ex te quæsitum velim Lector, quid tibi de hujus generis idiomate videatur: Quâ mundi plagâ hic fandi usus? hæc ubertas lenocinandi? sic Austriaci loquuntur: hæcne eruditorum lingua? Hicne Mabillonius, quo nec modestiorem, nec doctiorem in suo Regno Religiosum se habere dixit Ludovicus XIV. Rex Christianissimus. Primum hoc excipio, me hanc peregrinitatem nequaquam intelligere, non certè in Monasterio Austriaco, in loco S. Benedicti Patriarchæ longè mellitissimi natam, sotam, aut adultam. Homines enim illic linguæ Sanctorum assueti, modulationibus eruditi, sibi & mundo crucifixi, perturbationibus suis mortui charitatis melle redundantes, cujusmodi & isthic & alibi ex eo Sanctissimo Ordine plurimos mihi amore, & æterna necessitudine conjunctos apprimè novi. Diligo vos (testis est mihi optimus DEUS) ex intimo corde, diligo & revereor vos omni veneratione dignissimi v.ri. Scio, scio hanc vestram non esse linguam, non genus loquendi vestrum, tam longè non ab commercio tantùm religioso, sed à vestra quoque approbatione alienum. Quantum enim nonnulla vos consuetudine cog-

novi, similia, ut parum decora sunt, sic esse vobis grata, haud inducor, ut credam. Ipsi procul dubio, quæ vestra est nota mundo modestia, majorem in Mellito dulcedinem requiretis. Verum hæc utut sint, Tibi Mellite, hanc primum palmam, quemadmodum alias dixi, extortam eo; mansuetudinis atque modestiæ. Tuum tibi terrorem ex eo verborum histrice meæ pace circumda, Jesuitis tecum dimicationem longe aliam susceptam intellige, illam, quam Christus docuit: Si quis te percusserit in unam maxillam, porrige illi & alteram; En victoria! Sic vincitur in bono malo. Ego lauream silentio triumphanti imponam, & pro lingua agresti reponam civilem, dieteria tua mea erunt compendia, & quæ liberalius ingessisti, in meis deputabuntur spoliis. Sed hæc hæcenus: Nunc ad argumenta, quæ quantum etiam tenera sint, ac lubrica atque ad invidiam concitandam unice comparata, sic tamen (quod in antecessum spondeo) tamque fideliter integreque à me tractabuntur, ut quod difficillimum est, etiam tibi, nisi præcordia ad omnem veritatis sensum obarmaveris, sim satisfactorius; quod si non obtinero, ad illud certo consequar, ut potiores tuorum confratrum, quos arbitros causæ hujus fidenter imploro, te deserto, pro me sint laturi sententiam. Tanti est concordiam cum Religiosissimis integerrimisque viris, Ordinis Jesuitici sine dubio præclaris benefactoribus ab incunabulis Societatis cœptam, atque inde, in Austria præcipue, semper inviolatam, quantum eam etiam tui apologi abscindere aut labefactare natæ sint, factam tectamque servari.





CAPUT IV.

Umbrae Melliti discutuntur.

AUdiamus jam tandem causam illarum vociferationum, quibus Mellitus libellum R. P. Gabrielis impetiit: Ludicrum sane argumentum attende lector. Oppugnat theses, quæ nullæ sunt, nisi in concavo lunæ. Fingit sibi hostem, ubi nullus est. Vult pervincere *in statu Benedictino Imperium despoticum non habere locum; non esse vitam otiosam, non sædiosam, &c.* Hic clamat, hic vociferatur, hic innocentissimum Virum injuriarum, calumniarum petit; fatuum impudentem, & qui disputandi mos nisi inter nautas & calones non est, miris convitiis onerat.

Quid clamas, bone vir? quid impugnas? umbras phantasos impugnas: Quis enim hoc negat? ubi legisti hanc *thesin* seu *assertionem*, quod vita Benedictina sit despotica, sit otiosa? Ne quidem per somnium Autori talia incidit *affirmare*. Frustra igitur clamas, frustra te fatigas; umbras feris, meras umbras, in tuo capite fabricatas.

Similiter quando ita ejulas super illam propositionem, quod *videatur Vita commodior, quam sufficiat ad vincendas tentationes*, quis hoc *asseruit*? consideratio est, non *assertio*. Quo igitur tui ejulatus? nisi ut te risui in primo statim argumento exponas. Quid absurdius, quam

quàm in prima propositione impingere, ut ultra pergere non possis? Non *asseruit*, inquam, ita R. P. Gabriel: Quid ultra tibi vis? quid oppugnans? umbras.

Quàm autem ridicula illa complexio! *Jesuitæ docent Scholas? docent & Benedictini: Jesuitæ cathechizant? cathechizant & Benedictini: Jesuitæ conciones habent? habent & Benedictini: Habeatis, laus DEO! non tot, quin plures: Quis hoc negat? Soterius certè non; qui hæc objectionum tantùm loco, non assertionum proposuit. Quid magis ridiculum, quàm objectiones tanquam asserta oppugnare? Quid oppugnans? umbras bone Vir, umbras oppugnans.*

Similia nugamenta sunt alia v. g. *vel asserit in persona propria, vel in persona aliera? Resp. nec in una, nec in altera asserit: Et tamen hic bonus vir, postquam in hoc argumento diu tricatus est, tandem addit: Quid me veritam, nescio, Huc, huc te veritas: Nihil asserit, nihil affirmat, sed tantùm objicit, Jam quo te veritas, intelligis.*

Acutius est, si DEO placet, illud quod probat, nullum bonâ conscientiam posse ingredi Ordinem Benedictinum, eo, quod asseratur esse commodior, quàm sufficiat ad vincendas tentationes. Quis *asserit?* quis hoc ita *sentit?* Absit, absit, ut talia *asserta* Jesuitæ defendant, aut non omni supplicio exterminanda putent. Illi ut hanc thesim tueantur ordinem aliquem religiosum, præsertim tam illustrem, & de universa Ecclesia per tot secula tam præclarè meritum esse commodiorem, quàm ut sufficiat ad impediendas, vel vincendas tentationes? In tali ordine tot scriptorum omni tempore facundo, in tali nullum fere esse studiorum & talentorum usum? aut hæc in eo non æstimari? Illi defendant *assertionem* tam ineptam: vitam præ-

præstantissimi Ordinis esse præter chorum & missam otiosam: nequaquam, nequaquam sic instituti ab ingenio sunt, qui insigni semper veneratione in hunc Ordinem ferri sibi propositissimum habent, ut huc dementiæ veniant, ausintque talia probra, nulla in se injuria, sed plurimis contra beneficijs extantibus, de tam Sancto Ordine aut *asserere*, aut *asserta* defendere; neque inducor, ut credam (juvat uti tuis verbis) quemquam e Societate JESU eousque dementiæ posse concedere, ut adeo propudiosum opusculum, in quo talia *asseruntur*, ex umbra & nocte ad novam & alteram lucem prorepere pateretur.

Scio apprime ut tu rectissime varijs in locis probasti, Sanctum hunc ordinem, talibus, tamque egregiis, atque efficacibus munitum esse præsidijs, quæ non sufficiant tantum, sed superabundè sufficiant tam ad impediendas, quam etiam ad vincendas tentationes. Scio studiorum & talentorum esse usum insignem, quod tot editi & olim, & novissimo præsertim seculo cum ingenti eruditorum plausu, omniumque fructu, atque nuperrimè in Austria tot justè anecdotorum decumano labore collectorum in lucem editi tomi nimium quantum testantur: Proinde quod consentaneum est, scio vitam adeo non esse otiosam, ut occupatissimam, districtissimamque esse necesse sit, quæ tam vastis, tam decumanis voluminibus conquiendis conscribendisque sufficiat. Proinde ò Superi! longè, atque toto mundi cardinum intervallo hanc à me mentem avertite, ut talium *assertorum* aut fautor aut patronus existam.

Habes igitur quo non aliud de Alinæ Societatis hominibus sperare aut expectare potuisti, eos penitus ordini devotos tuo, tibi que sexcentis, si non dedignè, pactis fœderatos. Ast ast video orationem hanc meam prorsus non arridere tibi illudque forsan etiam submurmuras: Vox quidem vox Jacob, manus verò sunt Esau. Et fortè fatius tibi videatur susceptâ adversum Almam Societatem
ini-

inimicitia (si quæ tamen cadere in Virum Religiosum potest) clarescere, quam sterili ignobilique concordia fenescere. Verum quid quid agas, quid quid calamum acuas, tui sunt etiam læsi, etiam impugnati tui sunt: Quandoquidem ipsæ illæ impugnationes tuæ, ipsorum pariter sunt tecum, nolis, velis, argumenta concordia. Afferis, afferunt & ipsi: negas, inficiantur & ipsi: hoc tantum diffidetis, te nolle illos afferere, quod tute afferis; nolle inficiari, quod negas. Mirum sane genus certaminis, in quo ipsa discordia parit concordiam, discordiamque concordia.

Satis intelligis, quæ tua est subtilitas, Mellite, innoxium hoc lenocinium quantum ferietatis roborisque in se contineat. Animadvertis omnia tua, quæ operose construxisti, levi declinatione esse prostrata. Repetamus paulisper, quæ diximus. Afferis tu, & tota contentione per totum tuum apologum ad ravim usque demonstras, considerationes illas (eo videlicet sensu, quo tu sumis pro *asseritis, effatis, pronunciatis*) esse *confictas, falsissimas, aut frigidas & ineptas, aut denique ejusmodi, quæ ab omni, etiam Jesuitarum ordine, vel a nullo prudenter hominem possint absterre: Hæc tua verba. Expectabas tu forsitan, & ut puto, avebas, ut hoc tuum pronunciatum a me & Jesuitis negaretur; & negaretur omnino, si legitime considerationes illæ acciperentur: Verum quia in capite tuo unum idemque sunt *considerationes & assertiones*, hinc tibi, quod afferebas, libenter largeque transmissi. Quis enim aliud sentiat, quam multa, aut pleraque, quæ contra status religiosos *asseruntur*, jactanturque esse *conficta esse falsissima, esse frigida & inepta*; multa denique, parem causam habeant in omnibus religionibus, sic, ut æque ab hac, atque ab alia absterreant? quis inquam de hoc dubitet? neque P. Gabriel dubitavit, quin propositiones illæ: *Vitam religiosam esse commodiorem, quam ut contra tentationes sufficiat, esse otiosam, & similia, si absolute*
pro-*

proferantur & afferantur, sint falsissimæ, & a malevolis obtensa, atque confictæ, frigidæ prorsus ineptæque. Os forte oculosque diducis, magnumque tueris. Obsecro, mi Mellite, cape hoc: Non affirmavit non afferuit P. Gabriel similia portenta, probe gnarus, ut dixi, esse falsa, inania, frigida, inepta: Multo minus ea voluit juvenibus esse persuasa; minime per similia juvenes ab Religioso quopiam Ordine absterrere: Quæ tamen omnia tu minus recte videris supponere, imbutus intime ea opinione, *considerationes* idem esse atque *assertiones*; quod tamen longissime abest, prouti alijs in locis ad satietatem demonstrabimus, inculcabinus; quæ nisi jam tandem mente apprehendas, profecto a me impetrare vix potero, quin te in rebus apprehendendis tardiusculum reputem. Verum hæc in sequentibus plana erunt atque perspicua.



CAPVT V.

Oportet propositiones bene intelligere: Alias æque conqueri possent Jesuitæ quam Mellitus.

INtellectus propositionum non venit solum ex cortice verborum, seu specie vocum nude sumptarum, sed multo magis ex circumstantijs, in quibus proferuntur; modo, quo proferuntur; mente, qua proferuntur: axioma est certum & evidens apud omnes Philosophos & Juristas. Sic in præsentî argumento, dum Author alicubi dicit de Statu Religioso in communi (proinde non minus de Societate JESU, quam de alijs) e. g.

Esse

*Esse bonum Religiosum est res nimium difficilis.
Intolerabilis videtur propriae voluntatis abdi-
catio.*

*Castitas perpetua forte multis moraliter impos-
sibilis.*

*Tentationes in Religione sunt plures, quam in
seculo.*

Et nullum incontinentiae remedium.

*Religiosi videntur sibi ipsis augere difficultatem
Salutis.*

*Opera secularium bona sunt majoris meriti, quam
religiosorum :*

*Quid quid enim Religiosi faciunt, quasi coacti
faciunt.*

*Seculum habet plures occasiones meriti, quam
Religio, ut pugnare pro Christianitate, jus dicere
pauperum, & hospitalium curam habere &c.*

*In Religione est nimis commoda vita, sine ulla cu-
ra, in mero otio; quod nec DEO placet, nec inge-
nuum hominem decet.*

*In Religione multi vivunt cum paenitudine; cu-
perent non intrasse &c.*

Hic jam siste Lector: Quid censes de his proposi-
tionibus? ais esse propudiosas, scandalosas, impudentes,
flammis & rogo dignas. Itane vero? Salva res est, finita
lis: Jam enim cum Mellito Jesuitae faciunt causam commu-
nem, jam fœdus & concordiam pangunt ad eas propositio-
nes ferro & flammis extirpandas. Cum enim illae de statu
Religioso in communi, proinde non de alijs tantum, sed de
So-

Societate quoque dictæ sint, eja ad arma! Superi, inferi succurrite ad hæc monstra debellanda. Expedite calamos Jesuitæ omnes, quotquot usquam seu Hispaniam, seu Italiam, seu Galliam, seu Germaniam, aliumque mundi cardinem incolitis: Causa vestra agitur, ad quos Religiosi quoque statûs nomen pertinet. Si enim in communi de omnibus Ordinibus stabilitatem loci proflentibus dictum adeo perculit Apologisten; hæc pariter in communi de omnibus Religiosis ordinibus effutitæ Sententiæ vestrum non minùs, quo in Matrem vestram ferimini, studium ad clamores & ultionem excitare debent Jesuitæ.

Verùm quid ago? Adeone vesanum putem R. P. Gabrielem (quem deinceps Soterium vocitemus) Virum Religionis alioqui suæ amantissimum, ut etiam tanquam, Philautus ab Apologista traducatur, adeone, inquam mente captum, sui que immemorem, ut talia portenta de Matre sua edifferere, aut intelligere voluerit?

Atqui de statu Religioso in communi id asserit, Societatem nusquam excipit; volve, revolve, nusquam Societatem excipit, ergo & in ipsam ea probra eruçtat: reus est, inexcusabilis est, ingratisimum, perditissimum suæ Matris abortivum.

Heu me! quo devolvimur? DEum immortalem! quæ credam Virum tantâ virtutum & Sanctimonix famâ inclytum, tam honoris suæ Matris Studiosum adeo à semetipso descivisse, ut talia, tam nefanda, atque abnormia de sua quoque Societate dicta, aut intellecta velit?

Quidquid sit; verba tenemus: Nulla hic ambigendi via: clara sunt, manifesta, liquida: Vel enim hæc de Societate quoque dixit, vel non dixit: Si ita, ergo reus; si non, quid igitur de omnibus in communi Religiosis ordinibus, nullâ usquam Societatis exceptione dixit?

Attamen aliis in locis tam honorifice, tam facunde de Societate sua loquitur, qui igitur factum, ut hic se perderet?

Ita sane: Idem asserit, idem negat; idem inficit, idem tergit; lambit, mordetque homo vertigine capitis manifeste laborans, calidum simul & frigidum uno efflans ore.

Sed parcius ista de tanto Viro: Scias, velim, cum hæc non loqui tanquam sua sensa, seu tanquam in propria persona, sed tanquam in persona aliena, mundi videlicet, & secularium, qui talia passim de Religiosis Ordinibus effundunt.

Sicne vero? Non in persona propria? quid igitur usurpat sententiam Pauli Apostoli 1. Cor. 7. *melius est nubere, quam uri?* & paulo post alium scripturæ sacræ textum: *Cui plus datum est, ut Religiosis, plus requiretur ab eo.* Hos utique textus, cum sint sacræ Scripturæ, ipse in propria persona profert, atque tanquam veros affirmat: Alioqui esset atrociori vocabulo Hæreticus, proinde novo titulo rogo dignus. Et deinde, si propositiones illas non tanquam in persona propria, sed aliena profert, quid audet tanta probra typis committere, in vulgus spargere, adolescentibus propinare, cum injuria omnium Religionum, ac præsertim Societatis JESU, cui ipse utpote domesticus, & rerum apprime conscius, effatis tam scandalosis potissimum nocebit? Nam de aliis Religiosis Ordinibus res haudquam ita crederetur, uti de Societate: Cum ipse aliarum Religionum forte minus gnarus reputari possit; At vir omnium Societatis arcanorum, bonorum, malorumque perinde, atque in cute conscius, si talia confiteatur, quis non ea & de Societate intelligi, & verissime dici existimabit? Hinc vero quantum scandalum? quanta detrimenta? avertentur a Jesuitis candidati, collabatur æstimatio, & quæ non? plane quot verba, tot morsus aspidis in matrem suam
favi-

ſævientis. Rurſum ſi hoc non ex animo & intimo ſenſu diceret, ut quid ea non continuo refutat? ut quid tam ſædam ſpeciem juvenibus ſaltem de Societate non eximit? Quo enim fructu ea, quæ poſt aliquot capita de Societate laudabilia perorat, erunt, ſi hæc, quæ ceu in limine conſiderationum de Statu Religioſo ſæda pronunciat, juvenum mentibus imprimat? aut ſi hæc rurfus poſtea velit extergere, & contrariam opinionem inferere, jam qualis hic Spiritus Director? Deſtruit, ædificat, miſcet quadrata rotundis.

Agnofciſne tua pura puriſſima argumenta, quibus adeo baccharis Mellite? agnoſciſne, inquam, tua argumenta, tua, tua, inquam, argumenta, quibus in ſimili proſus pro Benedictinis, quo iſte de Societate perorans in bonum Soterium uteris? memor utique adhuc eris verborum tuorum: iisdem terminis, iisdem objectionibus, quas ego omnes de induſtria huc collegi, tute ipſe uteris: Jam igitur ſic arguo:


Vel cenſes allata paulo ante argumenta aliquid probare, vel nihil probare? Si ita: Ergo habent Jeſuitæ tecum cauſam communem, proindeque eſtis ſæderati & amici, contra communem aggreſſorem. Si nihil probant, ergo tuarum vociferationum, quæ eadem omnino ſunt, panoplia tota abit in ſumum.

Rurfus ſic argumentor: Vel habetis cauſam communem, vel non habetis: Si habetis, quid igitur per latus Soterii totam ſocietatem petis, præfertim in Libello ſecundo? quid ſæderatos, amicos impetis? Alia igitur cauſa eſt, quam hujus Libelli, quæ te in eos impulit: Quæ vera illa? Si non habetis cauſam communem, oſtendas, ubi Jeſuitæ ſint excepti. Cape hæc Dilemmata in antecellum

Mellite, plura ex me in subsequentijs capturus, quoniam ea tibi tantopere arrident: Hoc tibi interim inculcatum habe:

Libellus Soterij perinde contra Societatem pugnat, ut evidenter vidisti, vel contra neminem: pari quippe lege ejus dicta ad Societatem, atque contra alios pertinent. Si admittas totum: Ut quid igitur Jesuitis indignaris, qui perinde, atque tu, atque alij læsi sunt? Hæc in argumenti gratiam: Cæterum satis scio, te nunquam id admitturum, ut injuria ulla aut læsio ex libello illo in Almam Societatem redundet, cum nihil solennius tibi sit, quam Soterio & Jesuitis omnibus Philautiam objicere, qua adolescentes ab alijs avocent, ad se attrahant: Neque adeo fane cæci sunt, qui injuriam tam sibi perniciosam, si quæ in eos fuisset, aut non viderint, aut, si vidissent, ita sint defuturi sibi, ut non continuo averterent. Neque alij Ordines Religiosi, nisi postquam tu classicum inflasti, ullam agnoverunt injuriam, aut si quam forte agnosserent, tanti haud putabant ex musca facere elephantem. Sed exequamur cæpta.





CAPVT VI.

Quomodo propositiones supra dictæ accipiendæ sint, & quem sensum faciant? quo simul ostenditur, nullam per eas injuriam neque in Societatem JESU, neque in ullum Religiosum Ordinem esse illatam, ex quo luce clarius patebit, sine causa tumultuari Mellitum tanquam de atrocissima in suum & alios Ordines illata injuria,

Mirum in modum (ut sane conjicio) tricator Mellitus super propositiones superius contra statum Religiosum in communi propositas: Vult enim eas pariter, ut alias, esse scandalosas, pestiferas, impudentes, injuriosas, & tamen non vult, eas Almæ Societati applicari posse, quia negat cum ea faciendam esse causam communem, aut eam pari læsorum privilegio, id est stomachandi, quiritandi, frui posse; Et rursus non credit, tam fatuum fuisse Soterium,

ut ea serio de Societate JESU pronunciare voluerit. Cum autem exceptio Societatis isthuc nulla sit, rursus non videt, quomodo causam societatis ab aliorum causa disgreget, atque eo forte delabatur, ut sentiat, societatem adeo in alios Religiosos furiosam existere, ut se quoque lædi dissimulet, dummodo communi clade & alii involvantur; sed quid dico? anne adeo in eos exacerbata Melliti credam dulcedinem, ut extra fines humanæ naturæ Jesuitas exturbet? minime vero: illud, credo expectat, & ex fide promissi mei requirit, ut viam modumque aperiam, ad eas quas supra attuli, & alias, quas, ipse adeo trutinat, propositiones in bonam partem citra noxam proferentis interpretandi. Liberabo fidem, morem geram,

Cum certum sit significationem propositionum non ex solo verborum exteriori cortice sed multo magis ex circumstantiis v. g. personæ loquentis, personæ, ad quam loquitur, ex modo, ex mente proferentis prudenter conjectata pendere (id quod qui negaret merito ad elementa dialecticæ relegandus foret) exemplum hujus mei asserti, apud omnes alias recepti, juvat nunc dare in illis ipsis propositionibus a me superius recitatis. Si propositiones illæ ab aliquo proferrentur absolute & simpliciter, extra omnem aliam circumstantiam si ab aliquo statuerentur tanquam asserta & pronunciata didactica & decretoria; aut verbo si admodum thesium seu positionum absolutarum; si proferrentur ab aliquo in contumeliam & detractionem Status religiosi; si mente aliena & in id intenta, ut homines a religionibus averterentur; si denique quis illas proferret mente, eas hominibus persuadendi, atque adeo & ipse eas judicaret esse veras, & ut tales ab aliis quoque haberi vellet; si inquam hoc, quo memoravi, modo & consilio proponerentur, papæ! haud ita hebes, aut durus sum, ut non earum noxa & absurditate intimis medullis percellerem. Quid enim fædus, quam dicere obe-

obedientiam esse intolerabilem? tentationes in Religione plures, quam in seculo? in Religione vitam esse nimis commodam &c. Hic omnino pharetram Melliti expediendam, hanc offam ejus ira & stomacho dignam existimarem, atque quæ mea est, in omnes Religiosos Ordines observantia, atq; in Almam imprimis Societatem, quæ cum reliquis Ordinibus una feriretur, non de forem sane partibus meis, quin ipse non obelis tantum, sed verutis etiam ad eas configendas quantocyus uterer.

Verum enim vero videamus jam, quibus in circumstantijs, quo loco, quo modo, quo consilio propositiones à Soterio prolatae & scriptae sint. Scripsit eas pro deliberantibus, quibus utique necesse est commoda & incommoda ejus rei, de qua deliberant proponere; scripsit eas eo loco postquam immediate antea status Religiosi commoda uberrime recensuisset: scripsit eas non utique ut a juvenibus crederentur, aut tanquam ipse eas veras esse crederet, sed scripsit eo consilio, ut eas tanquam passim jactatas, & ab hominibus passim contra Religiosos ordines objici solitas ipsi adolescentes in antecessum considerarent, expenderent, trutinarent ne forte, si postea primum iisdem occurrant, aut objiciantur, ad eas tanquam ad novas difficultates, nunquam præcognitas, aut provisas cohorrescant, in statu seinel assumpto ob novas istiusmodi tentationes, & ut vulgariter loquar, incidentias titubare, fluctuare, de rectitudine suæ electionis dubitare incipiant, tum inquam, cum manum de tabula aut non amplius aut non sine infamia retrahere valent. Hæc, inquam, juvenibus antea, quam ad religiosum institutum animum adjiciant, expendenda Religiosissimus director proposuit, expendenda, inquam, imprimis an ita sint, se an revera hæc, quæ jactantur, & qua ratione in statu Religioso inve-

niantur? deinde, si quæ sunt, qua ratione difficultates illas vincere, quomodo tentationibus ejus generis occurrere sibi adolescens fidat?

Ex quo multiplex in deliberantem utilitas redundat, ut apud omnes Religiosos imo omnes omnino viros prudentes in confesso est: sic enim 1^o. evitatur cæcitas & præcipitancia, qua non pauci tanquam bruchi in obvium quemque Statum involant, cum maximo suo & ipsarum Religionum, quibus tales inconsulti candidati sæpe onerosissimi ob animi ægritudinem evadunt, detrimento. 2. Sic præventur, & exarmantur tentationes, quæ successu temporis Religioso possunt ex iisdem illis objectionibus occurrere. Tela enim prævisa aut non, aut certe minus ferient. Quod enim prius exploratum & cognitum abstergere a capessenda religione non potuit, illud utique si re ipsa occurrat, vires tantas non habebit, ut pœnitentiam suscepti propositi possit injicere: quod contra esset, si antea cognitum non fuisset. Sic si militi perspectæ sint in antecessum ærumnæ, quæ ei vitæ generi conjunctæ sunt, mollius utique & fortius tanquam animo jam præceptas, earum experientiam sustinebit: Sic opificij v.g. fullonicæ artis candidato intolerabile non videbitur illud unguem, ille pædor factorque ex maceratis pellibus exhalans, atque alia ejusmodi, si hæc omnia prius ei prædicta & denunciata fuere. Fit enim 3. ut perspectis in antecessum suscipiendi Status oneribus firmetur animus ad ea sustinenda, constantibus atque iteratis resolutionibus, quibus probe, ac penitus præmunitum candidatum non dubito, quin omnis Ordo Religiosus habere, atque in cœtum suum aggregare malit, quam alium peregrinum, cui omnia nova, omnia incognita, qui ad omnem difficultatis umbram stupet, illudque animo agitat: heu me! hoc non prævidi, hoc rursum non prænovi, & hoc mihi ne per umbram incidisset; &c. quæ utinam quandoque non evenirent!

Hoc

Hoc igitur, ut ad id, unde delapsus sum, redeam, hoc inquam spectabat Religiosissimus director, in eoque sane tantum abest, ut illi Religiosorum ordinum aut notam aspergere, aut juvenes ab ullo abstrahere, aut incommodum cuiquam afferre, quin potius gratum omnibus facere, beneque de ijs mereri voluerit, submitiendo videlicet iisdem candidatos non rudes aut hospites, non praesidijs omnibus adversus objectiones, aut difficultates occursuras destitutos sed armatos probe, & ad onera religionis ferenda jam in antecessum praclare animatos.

Et sane si quid sequius animo concepisset, non utique in alios potius religiosos Ordines, quam in proprium depugnasset, non ab alijs magis Regionibus, quam a Societate sua avertisset, ut de qua proprie illa dici a scriptore domestico ex merito judicare poterant. Universe enim & generatim de omni Religiosorum instituto illa proferuntur, igitur & multo maxime de Societate JESU, quam nemo amplius testis domesticus exploratam habebat. Hoc autem optimum Virum intendisse, huc sua contulisse consilia quis mortalium, nisi insaniat, sibi vel fingendo in mentem patiatur venire?

Age vero, si ex fructibus de radice censendum sit, nonne is est Soterius (dicant, testentur omnia fere caenobia catusque Religiosorum) nonne is est, qui hac sua deliberandi methodo plurimos, eosque egregios palmites Religiosis inseruit familijs? Usque adeo, ut non facile credam, usquam terrarum, nedum in una Austriae Provincia ullum extitisse, qui unus tantum Candidatorum numerum ad Ordines Religiosos promoverit. Testis est Viennensis Urbs, testis antiquissima ejus loci Academia, testes plurimi, qui hodieque sunt superstites, in varijs Religiosis Ordinibus

Canobitæ, qui vocationis suæ proventum vel ex toto, vel certe magnam partem ejus directioni & consilijs grati referunt in acceptis: Adeo longe aberat ab eo consilium aut calumniandi quenquam, aut avertendi a Religiosa militia, ut potissimam fere partem monitorum suorum huc referat in omnibus propemodum pagellis, ingenerandi juvenibus contemptum sæculi, æstimationem æternorum, curam animæ salutisque in tuto collocandæ, stationemque in Religione ponendam, quod si pluribus demonstrare eniterer, verba in auram jacerem, utpote in re omnium oculis patenti omnino supervacanea.

Quæstio igitur nunc est, quo sensu verba illa & cantatæ toties propositiones & ab Authore propositæ, & ab omni sano homine accipiendæ?

Loquor de propositionibus illis, quas supra attuli contra statum Religiosum propositas: Ex his enim evidens & adæquata erit ad omnes alias propositiones, quæ ex libello extundi possunt, paritas, præsertim, cum eæ, quas attuli, videantur reliquis omnibus quoad speciem absurdiores: Si igitur in his extra culpam fuerit ostensus esse Soterius, multo magis id consequetur in alijs.

Ostendi porro paulo ante propositiones illas non tantum contra Ordines alios, sed multo magis etiam contra Societatem pugnare: Proinde interest præprimis quærere, an Societas JESU, consequenter an ullus aliquis aliorum Ordinum ijsdem sit læsus, aut injuria oneratus? Quod si secus esse ad oculum demonstravero, credo causam fore peractam; si ostendero Jesuitas, qui speciali cura obedientiam profitentur, non lædi per illam propositionem, qua dicit: obedientiam esse intolerabilem: Si nec per illam, qua dicitur, castitatem esse moraliter impossibilem,
vitam

vitam Religiosam agi in mero otio, si nec per aliam ullam ex recitatis Jesuitas læsos, aut offensos ostendero, utique planum fiet, nec Mellitum, nec ejus Sanctissimum Ordinem, aut alium quemcunque esse injuria affectum per illas, queis dicitur: Timendum, ne superior evadat despoticus: Vitam videri commodiorem, quam sufficiat ad impediendas, aut vincendas tentationes, esse otiosam, & similia, neque ex his, inquam, ulla provenire censebitur injuria, cum longe minus fædæ & absurdæ sint, quam superiores. Legitimis utique pactis & conditionibus tecum ago, Mellite, ut qui non tantum id, quod tute objicis, sed etiam id, quod gravius est, & impeditius, resolvendum assumo. Jam vero per illas, quas supra recensui, propositiones, nihil Jesuitas, aut qui causam cum ijs communem faciunt, alios Religiosos esse violatos & læsos, sic demonstro:

Si Soterius nihil sinistri de Societate, aut ullo alio Ordine asseruit, tum nihil læsit: Sed nihil sinistri asseruit, ergo nihil læsit. Probatur minor (major enim liquet)

Si Soteriis, ea, quæ in consideratione de Statu Religioso proponit, non assertive proponit, sed tantum refert ad hoc, ut a juvenibus considerentur, tum ipse ea non asserit: (siste parumper, & pensa bene verba singula)

Si inquam ea non assertive proponit, sed tantum refert, explicat, exponit; recitat, cum nempe in finem, ut juvenes ea, quæ circa statum Religiosum possunt occurrere, secum perpendant; tum evidens est, quod ea ipse non asserat, id est, non judicet, aut credat, ea sic reipsa esse, nec cupiat, ut ab alijs ita esse credantur, sed tantum ut considerentur. v. g. si Soterius sic diceret juveni deliberanti:

Considera, fili, quæ de statu Religioso occurrunt: occurrit autem, quod aliqui censeant obedientiam esse intolerabilem, castitatem impossibilem, vitam Religiosorum esse otiosam &c.

Si

Si inquam, sic diceret, utique manifestum est, quod eas propositiones non assertive proponeret, non ex suo iudicio & sensu, neque ut à juvenibus credantur, sed tantum proponeret ad considerandum. Res est, nisi cæco cæcior sis, luce meridiana clavior, & manibus ipsis palpabilis. Jam ad minorem:

Atqui Soterius ea, quæ dixit, non assertive proposuit, aut ex suo sensu, nec voluit ea juvenibus persuadere, ut sic esse crederentur; sed tantum ut considerarentur, ergo, probo minorem:

Soterius proponendo considerationes de Statu religioso æquivalenter, & re ipsa nihil aliud dixit, quam: considera fili, quæ de statu religioso dicuntur nonnunquam, aut dici fors possent, e. g. obedientiam esse intolerabilem, castitatem impossibilem &c. Hoc evidens est j'o ex intentione Soterij; Non enim voluit juvenes ab Ordine Religioso absterrere (alias hoc ipso etiam voluisset absterre- re à Societate, cum ea generatim efferat, & societatem non excipiat: Hoc autem Mellitus in æternum non cre- det, utiq; nec alius quisquam) sed voluit unice juvenibus ea proponere, quæ forte vel ipsis occurrunt, vel ab alijs objiciuntur, ut nempe ea considerent, an talia sint, ob quæ Religionem omittendam putent; an contra non sentiant in se vires sufficientes, aliaq; motiva, quibus ejusmodi objecta retundi possint. Hoc unice agitur, hoc conten- dit per suarum considerationem exercitia Soterius, ut evidens est legenti.

Intentio porro Soterij amplius patet ex tot candida- tis ad varias Religiones per eum promotis: Evidens ergo, non voluisse juvenes per suas illas considerationes à Reli- gione abstrahere, sed potius eos præmunire, & firmiores
para-

paratioresque reddere expensis probe objectionibus, quæ fieri ex adverso possent.

Jam vero si ipse credidisset, aut juvenibus persuadere voluisset, revera obedientiam esse intolerabilem, castitatem impossibilem &c. Quomodo suam intentionem adimplere potuisset? Sic enim simul & semel voluisset, nigrum & album, fieri & non fieri Religiosum, quod in hominem cadere qui possit? in talem virum profecto minime.

Sed puto ridicule agerem, si multis probare contenderem, Soterium fæda illa de statu Religioso non sensisse re ipsa: Cui enim sano occurrat id vel suspiciari.

Sed dices, quidquid sit de sensu, verba aliud sonant; verba incusantur; Resp. verba aliud sonant rite & debite intellecta *Nego* perperam & inepte intellecta *Concedo*. Inspiciatur locus, consilium, intentio, modus proferentis. Titulum ante omnia intuere, qui singulis considerationibus præfigitur: *Considerationes*, ait, non *Affertiones*: Nota hoc bene: *Considerationes*, non *Affertiones*. Sed quæris, quale discrimen inter considerationes & Affertiones? Hocne quæris virorum perspicacissime? Sed tamen cum quæras: Resp. toto Cælo. Adverte paulisper animum: Hæc sunt verba tituli: 10. *Considerationes de Statu Religioso*: Deinde *considerationes contra Statum Religiosum*. Quid sibi volunt hæc verba? explicemus. Meo & omnium judicio hæc verba re ipsa nihil aliud important, seu ut plane dicam, nihil aliud significant, quam *Puncta consideranda pro Statu Religioso*: *Puncta consideranda contra Statum Religiosum*. Nonne sic est? lampadem, solem, acumen omne tui ingenij admoveas; nihil aliud omnino cernes.

Porro

Porro evidens est, quod *puncta consideranda* pro vel *contra Statum Religiosum* non sint hoc ipso *puncta affirmata* vel *asserta* pro vel *contra Statum Religiosum*: Potest enim quis proponere *puncta consideranda*, quin ipse ea affirmet, vel asserat. Sic possum proponere absurda *consideranda* totius mundi, chimæras, & hippocentauros, quin ipse hæc affirmem vel asseram. Rursum voces istæ: *Puncta consideranda pro vel contra Statum Religiosum*, non significant utique idem, quod istæ: *Puncta credenda pro Statu Religioso*: *Puncta credenda contra Statum Religiosum*: Quod pariter evidentissimum est: Alioqui enim, cum in una parte proponat v. g. obedientiam religiosam esse suavem, in altera parte: Obedientiam religiosam esse intolerabilem, si hoc utrumque, ut vult adversarius, affirmaret; sequeretur, quod idem uno eodemque tempore eandem rem affirmaret, & simul negaret: Eandem rem diceret a juvenibus esse credendam, & simul non esse credendam, quæ quia manifeste contradictoria sunt, ne, si velit quidem, simul & semel affirmari aut suaderi possunt. Sequeretur ulterius, quod idem hodie asserat, Statum Religiosum esse præ omnibus amplectendum: Cras contra asserat, Statum Religiosum esse præ omnibus fugiendum: Posteras Statum Ecclesiasticum Petrinum esse præ alijs sectandum, sequenti rursum die asserat, nihil minus, quam Statum Petrinum esse sectandum. Postea novo conatu asserat, Ordinem, qui stabilitatem profitetur, esse præ reliquis expetendum, altero mox die asserat, eum statum cane pejus esse fugiendum: Hæc inquam, omnia evidenter sequerentur, si *puncta consideranda* sint idem ac *puncta asserta*: & si *puncta consideranda* proponere sit idem, atque ea asserere, aut persuasa velle: Hoc autem modo processisse Soterium, quis nisi amens sibi persuadeat? Et vero, nec, si voluisset, poterat; intellectus enim, si bene memi-

meministi tritissimi in Philosophia axiomatis: est potentia necessaria, quæ quidquid etiam agas, induci nequit, ut asserat simul duo contradictoria.

Advertit probe Mellitus hanc sequelam: Quando enim confert has duas propositiones a Soterio in considerationibus de Statu Religioso stabilitatem professo propositas: Unam, quæ dicit: *Vita talis videtur esse commodior, quam ut sufficiat ad impediendas, aut vincendas tentationes.* Et alteram, quæ in considerationibus pro eo statu proponitur: *Vita hac videtur simillima vitæ Christi & Apostolorum.* Hæsitat paulisper vir perspicacissimus, & stupet, qui fieri potuerit, ut hæc inter se adeo pugnantia dicere potuerit: Si enim vita commodior, quam ut tentationibus par sit, quomodo simillima vitæ Christi & Apostolorum? Si simillima vitæ Christi & Apostolorum, quomodo commodior, quam ut adversum tentationes sufficiat? torquet se mirum in modum vir perspicacissimus, primum credat, an secundum? Serio, an joco prolatum putet? tandem non alium inventi exitum (audite bellissimam, quam ille invictam & inextricabilem putat collectionem) non, inquam, aliam inventi propositionum adeo pugnantium possibilitatem, quam cerebrum Soterij tum, cum hæc scriberet, vertigine laborasse, adeo fatuum & mente captum fuisse, ut duo etiam contradictoria assereret: idem, quod paulo ante statuerat, postea negasse, & vicissim: Hæc Melliti conclusio, hæc definitio. Præclarum sane Dialecticum, qui, quod in Dialectica acutissimum est, id egregie præstiterit, ut argumentum deduceret ad impossibile: Hic Soterius conclusus, hic confictus nullo relicto responsionis effugio.

Ego cum hæc legerem, tantum abest, ut indignatione vel tantilla moverer, ut risum etiam tenere haud potuerim.

Mira-

Mirabar rem adeo planam, adeo apertam ingenio viri tam illustri esse impenetrabilem, quam vel Rhetorculi, qui quotidie in Scholis similes quaestiones problematicas tractant, nullo negotio intelligunt. Quippe quando Magister discipulis proponit quaestionem problematicam, quando affert rationes pro una parte, quando item rationes congerit pro parte opposita, ij etiam qui crassioris Minervæ sunt, plane intelligunt, eas rationes non ita proferri, ut existiment, eas a Magistro omnino credi aut asseri: Neque enim tam stupidum aut vertiginosum putant Magistrum, ut jam album, jam nigrum de una eademque re asserat, aut credat, aut ipsis utrumque contradictorium persuasum velit: Caccinnarentur enim profecto, si quis Magistrum argueret ut insanum, quod ista inter se pugnantia proferat: Sciunt quippe hæc non proferri à Magistro ut asserta, quæ aut ipse credat, aut ab ipsis credi velit, sed tantum disquisitionis causâ, eum nempe in finem, ut ipsis materiam cogitandi & tatiocinandi suppeditet. Similiter si Referendarius in concilio causam aliquam, ut sit, problematice proponat, rationes pro & contra producat, nemo utique Assessorum vel Judicum, eum delirare, aut vertiginem cerebri pati putabit. Atqui rationes pro & contra proponit: Quid inde? hoc ejus officium est, hæc functio: At at si rationes pro & contra proponit, sibi ipsi contradicit: Qui autem hoc, delirus, vertiginosus est: Heu heu! ridete, ridete amici, utilia vobis rumpantur. Neque enim responso, sed risu aut commiseratione hæc stropha excipienda.

Quæ tui sit argumenti conditio Mellite, jam tandem, ut spero, assequeris: Mibi sane, dum hæc scribo, hoc dilemation succurrit: vel tu virorum optime, dum ita de considerationibus Soterij differebas, serio hæc dicebas, vel non serio, sed nugando tantum: Si non serio, ergo non debebas tantam passim animi commotionem, tantam bilem
osten.

ostendere; debebas sc̄riptionem tuam magis ad stylum jocatorium, ad risum captandum fingere, non ita in Virum Religiosissimum, de te, ut tute nosti, non male meritum, invehi; non debebas Acheronta superosque movere; ad arma, ad rogam conclamare; denique non debebas talibus passim atque in singulis fere paginis contra tam honoratum Virum, & almam Societatem scommatis & concrepationibus uti, quæ nec prudentiæ tuæ, nec statui, quem profiteris, nec mellitissimo tuo nomini congruere ullo pacto possint, Si enim nugæ & joci in ore Religiosi, ut ait Patronus tuus cognominis, blasphemix sunt: Quid erunt tam sædorum, tam insolentium scommatuna excreationes? jam ad alteram partem dilemmatii.

Si tu serio illa, quæ differebas, protulisti, tum rursus novum hoc dilemmation occurrit (sc̄io mi Mellite, tibi dilemmata esse unice grata) hoc, inquam, dilemmation:

Vel tu verba Soterii, ejusque modum dissertandi, consultandique problematicum intellexisti, vel non intellexisti; si intellexisti, cur ergo contra mentis tuæ sensum, tam sinistram, tam atrocem, tam immitem interpretationem in publicum edidisti? cur alios innocentissimos, & Societati JESU alioqui addictissimos viros in eum Libellum, totamque Societatem concitasti? Cur ad flammam & rogam provocasti, gnarus nullius in Soterio sequioris consilii, aut instituti? Hoc sane esset profunda & exquisita malitia, quam absit, ut de quoquam religioso, de te autem minime suspicer.


Quod si vero ex adverso ea, quæ Soterius consideranda proposuit, post tam diuturnum cogitandi rimandique spatium, quo abortum tuum parturiebas, nec dum recte intellexisti, ergo parum videris eo mentis acumine, ea per-

spi-

spicacia pollere, qua nonnulli te pollere arbitrantur, minime autem tanta, ut nomen Mabillonij Germaniæ promereare: In quo tamen hoc commodum est, quod tibi ob tua diœteria indignari nemo merito possit: Scripsisti, sicut intellexisti: Non malitiose, sed infeliciter, & miserabiliter, non tam videlicet ad indignationem, quam commiserationem tantæ tarditatis movendam. Quid enim aliud, quam monstra scribere poteras, qui animo minus elimato, mera monstra videbas?

Non male igitur me de te mereri credes, neque ægritudinem novam hauries, si animo sincerissimo tibi commodandi, deterfis illis intellectus nebulis serenitatem reddidero, tum enim uterque ad aram veritatis pacto fœdere, pugnare sinemus ignozia problemata, nos ut intellectu, sic voluntate jungeremur. Veritas enim una est.





CAPVT VII.

Dilucidatur ulterius propositio-
num accusatarum sensus, ubi etiam a-
gitur de officio problematis, seu
consultationis,

Dixi paulo ante, considerationes Soterij esse problema-
ticas, id est rationum pro & contra occurrentium ex-
positrices; non autem esse assertivas, seu tales, quæ vel a
proferente affirmantur & credantur, vel alijs ut affirmandæ
aut credendæ proponantur. Quod præter ea, quæ jam at-
tuli, ex toto passim Libello evidenter perspicitur: Sic u-
bi proponit considerationes pro Statu seculari, puncto se-
cundo dicitur: *videtur in Seculo facilius obtinere posse Salutem,*
quam in Statu Ecclesiastico, vel Religioso. Item in consideratio-
nibus de Statu Ecclesiastico seculari, punctum primum sic
habet: *Status Ecclesiasticus videtur via tutissima ad Salutem:*
Atque talia passim alibi. Jam cui, obsecro, in mentem venire
possit, Soterium hæc assertive dixisse? Cum certissimum &
in confesso sit, tutissimam viam non in seculo, sed in Religio-
ne quærendam esse; atque ipse Soterius potissimum confi-
derationes suas eo retulerit, ut clientes suos ad Statum Re-
ligio-

ligio-

ligiosum, ceu portum Salutis tutissimum dirigeret, idque ipso opere in tot candidatis eo directis ostenderit. Sed quæris; quid igitur talia falsa, & ab hominum sensu abhorrentia proponuntur? Resp. Quia digna sunt consideratione, & nonnemini forsitan occurrere possunt: Digna, inquam, sunt consideratione, ut nimirum adolescens exactius, quæ tandem Securitas in seculo sit, pernoscat; Quod ipsius deliberantis vehementer interest: Aliquando enim fieri potest, ut, etsi absolute loquendo verum non sit, Statum secularem esse tutissimum, respective tamen ad tale hominis individuum, revera status secularis sit tutissimus: Multi enim, ut id Soterius alio loco dicit, qui in Religione damnarentur, in statu seculari salvantur: Quod ipsis credo, Sapientibus Religiosis mirum dictu videri non debet, eo, quod sæpe inveniuntur homines, qui ab iis rebus abstinere moraliter, seu propter inolitos habitus, seu ob naturæ fervorem non possunt, quæ Religiosis reputantur peccata, secularibus sunt licita. Qua in re, cum plana sit, diutius immorari necesse non est. Digna igitur consideratione talia, imo dignissima sunt deliberanti, ut videat, quid agat, & commodis seculi perspectis, hancne viam, an contra Religiosam sibi ad salutem opportuniorem existimet.

Est nimirum hæc ratio & methodus tractandi quæstiones problematicas, ut rationes pro & contra adducantur, quo tandem utrisque expensis & perspectis, decretum fiat illud, quod unicum talium considerationum postremus finis est, prudens & stabile: *Prudens*, ut quod omnes, quæ occurrere possunt, difficultates, objectionesque prospiciat; *stabile*, quod adversum vim similium, qui aliquando occurrere possunt, arietum, accurata meditatione, animoque præparato munitum sit: quod secus omnino fieri necesse est, si cæco mentis impetu, eorum quæ obviare possunt, ignarus, arenæ se committat.

Ratio.

Rationes igitur, ut dixi, in consultativis ejusmodi problematis ultro citroque in medium adducuntur. Rationes, inquam; Quæ vero illæ? Resp. Omnes, vel saltem potiores, quæ movere aliquomodo deliberantem possint. Si enim non proponantur omnes moraliter, sed aliquæ tantum, v. g. leviores, dissimulatis gravioribus, vel illæ tantum, quæ arrisuræ deliberanti, secus illæ, quæ displicituræ videantur; Vel si illæ tantum, quæ impulsuræ v. g. ad statum religiosum, secus alteræ, quæ abstertere natæ sunt, tum enim vero manca, imperfecta, & ad imponendum potius, quam ad dirigendum comparata deliberatio est; cæco modo ruitur, sæpe non ad Salutem, sed ad exitium, cum periculo feræ, sed inutilis penitentia. Omnes igitur rationes aliqua consideratione dignæ ab animarum arbitro proponendæ sunt; non gravissimæ tantum, sed etiam leviuscule; quod enim in se leve est, nonnullis quandoque grave, præsertim juvenibus videbitur: Quæ in re prudentiæ Confessoris erit, talia privatim pluribus exponere, imaginationes falsas eximere, aliqua refellere, alia contra, si operæ sit, & materia, aut mens deliberantis postulet, ut merentur, aggravare, quo sic apparentia a veris, futilia & frivola a gravibus, sibi suoque modulo convenientia a dissentaneis deliberans discernat.

Denique, quod bene, recteque observandum, rationes proponendæ sunt, non tantum, quas ipse facer referendarius animæque arbiter animo suo descriptas, & præconceptas habet, non, inquam illas tantum, quas ipse asserit, aut quæ ipsi, si deliberaret, occurrerent, sed etiam illas, quas alij seu benevoli seu malevoli asserunt, etiam illas, quas vulgus circumfert, quæque nonnullorum sermonibus jactantur, quas periculum est juvenibus aliquando, si sibi solis relictæ talia audiant, fraudi esse posse: Denique ad extremum etiam illas, quæ ipsi juveni seu apte, seu inepte occurrere, vel incidere possunt. In his enim omnibus partes

deliberantis sunt, eas acuratius expendere, confessarium consulere, & contra confessarii munus est, eas juveni privatim explicare, nisi tales sint, tamque obviae, quas ipse deliberans facili negotio dispicere, ac penetrare possit. Hæc omnia, quæ dixi, tam (nisi me omnia fallunt) tam inquam, clara, tam luculenta sunt, ut omnes, quiqui sunt Religiosorum, iudices hujus meæ ratiocinationis admittere neutiquam reformidem.

Igitur, ut illud, in quo potior vis est, iterum, iterumque inculcem, in rationibus afferendis non ad eas tantum ab arbitro respiciendum est, quas ipse veras esse iudicat, quas ipse asserit, quasque cupit deliberanti esse persuasas, sed alias quoque, quæ ad œconomiam causæ plenissime cognoscendam conducere videntur, uti sunt, & potissimum illæ, quæ ab aliis jaçantur, quæ ipsi deliberanti possunt aliquando occurrere, eumque alio tempore, quo forte spatium copiamque deliberandi, aut consiliarium tam opportunum, aut animum tam erectum habiturus non esset, percellere.

Ex his igitur sequentia statuo: 1. Quæ Soterius in considerationibus proposuit, non tantum sunt ea, quæ vel ipse asseruit, aut aliis persuasa voluit, sed alia quoque ad meritum causæ consideratione digna. Voluit enim proponere viam, modumque deliberandi non mancum illum, sed quantum in libelli parvitate poterat, sufficientem, ad non cæce, & improvide in tanto negotio progrediendum.

2. Statuo Eum, cum hoc, ut dixi, modo, rationes proponeret, prudentissime, sanctissime, rectissimeque egisse: prudentissime enim sanctissimeque agit, qui, quod sui muneris, & officii est, facit. Atqui muneris ejus & officii erat, quam optime poterat, deliberanti in re tanti momenti, unde ejus salus dependet, consulere. Optime consulit, qui ea omnia exacte proponit, quæ in deliberando
juva-

juvare, ad bonam electionem optime conducere videntur. Sic deliberanti de bello gerendo optime consulit, qui omnia exacte proponit, quæ ad rationem decernendi vel omit- tendi belli pertinere videantur; Deliberanti de emenda merce optime consulit, qui ea omnia exacte proponit, quæ ad naturam & ingenium mercis plenius cognoscendum conducunt; denique deliberanti optime consulit, qui sic ei omnia negotii, quod sub manibus est, merito proponit, ut eum futuro tempore pœnitere electionis moraliter non possit, qui sic eum de omnibus commodis incommodisque admonet, ut veniente die serius, aut citius suam accusare præcipitantiam non cogatur, aut cum Phrygibus dicere: *Hoc non putavi.*

Ex his jam luce meridiana clarius dilucescet propo- sitionum immerito accusatarum sensus. Quando enim monstra illa, ut Mellitus appellat, superius memorata per- textit, v. g. obedientiam videri intolerabilem, castitatem multis impossibilem, vitam Religiosorum videri otiosam, & similia, sensus, inquam, harum propositionum non neces- sario includit iudicium seu assertionem ipsius proponen- tis: Constat enim ex dictis in problemate seu conside- ratione *de statu* non tantum proponi ea, quæ ipse iudicat esse vera, sed etiam alia, quæ licet non iudicet ipse, tamen alii iudicare possunt esse vera.

Imo ea est natura problematis, ut nec possit habere locum assertio seu iudicium proponentis, cum sic evaderent iudicia sæpe immediata contradictoria: Proponuntur ergo alia quæ non sunt de mente seu iudicio proponentis sed aliorum, quibus talia sæpe dicuntur aut dici possunt. Et hæc ex natura problematis; Quo tametsi hominibus pru- dentibus, nec pravo affectu corruptis satis & abunde fa- ctum a me sit; ut tamen res oculis ipsis subjiciatur, ea pro- positionum illarum sensum, qui re ipsa est, obvia paraphrasi expositum.

Quando igitur pro titulo ponit hæc verba :

Considerationes contra Statum Religiosum,

Hæc utique alium sensum non habent, quam hunc :

Puncta consideranda, quæ contra Statum Religiosum occurrere possunt :

Seu, quod idem est : *Puncta consideranda, quæ contra Statum Religiosum dicuntur, aut dici possunt.* (Nota bene : Puncta, non quæ ego dico, aut assero, sed quæ forte ab aliquo dicuntur, aut dici, tibi que objici, aut ultro incidere possunt) e. g. obedientiam esse intolerabilem, Castitatem multis impossibilem, vitam Religiosorum esse otiosam &c. Ecce huc oculos, huc os Mellite ! Propositiones illæ monstrosæ non sunt *asserta non effata*, ut tu identidem clamas, non *theses* Soterij (possum enim aliquid considerandum proponere, quin illud ipse sentiam, aut affirmem, ut evidens est) sed sunt puncta duntaxat considerationi relicta, quæ gratia tantum exempli subjiciuntur, ceu talia, quæ nonnullis, aut ipsi juveni occurrunt, aut occurrere possunt, seu quæ nonnunquam dicuntur, aut certe dici a nonnemine gnaro vel ignaro, benevolo, vel malevolo possunt. Stomachare jam, vociferare, tona, fulgura, fulmina contra propositiones istas, ut monstrosas, fædas, absurdas, impudentes, mi Mellite ! nugæ nugarum ! Si affermentur, tales esse quis dubitet ? minime omnium Soterius, quem tu ceu earum architectum, patronum, assertorem inauditis modis traducis : Nugæ profecto nugarum ! cum umbris, cum phantasis luctaris, reportaturus inde pro triumpho excussissimum cachinnum, & postquam magna omnium expectatione parturiebas montes, tandem hominibus prudentibus (papæ magnum quid !) ridiculum murem prodidisti. Laurum, quam tibi adornasti, cape dignam tali victoria, sed a Pale potius, quam ab Minerva.

Vide

Vide sis igitur, quam longe alium sensum habeant, si ex terfo oculo, & elimata acie inspiciantur: Quid autem opus acumine? æquam mentem desidero, columbinam, ac verbo Religiosam, imo Christianam, imo humanam tantummodo: Quis enim, nisi cæcus sit, hoc mysterium non pervideat, quod vel ipsis adolescentibus obscurum nullo unquam tempore fuit. Quem enim adolescentum audisti, qui hæc talia Soterium de Religiosis Ordinibus sensisse, aut tanquam *asserta, effata, pronunciata* scripsisse, & non potius recitata duntaxat in exempli & problematis gratiam putaverit? Neque tu unquam ulli juvenum ejusmodi suspicionem, nedum opinionem de Soterio injicere poteris, quodque amplius est, audeo dicere, te neque tibi ipsi hoc unquam persuasurum. Consule te metipsum, tuumque, quod sentio, quantum in me est, præclarum esse mentis judicium. Occurret tibi continuo species viri, quem tu ipse plus quam de facie nosti, sancti, prudentis, animorum bono, ac præcipue Religiosarum familiarum supplementis intenti. Hunc tu talia sensisse aut asseruisse serio arbitrere? In æternum non credam, te ejusmodi judicium de viro incomparabili ullo in loco aut tempore suscepturum, nisi in quo mentem reliqueris.

Ex his demum in fumum abeunt omnia tua argumenta, potissimum in suspiriis, in ejulatu, in exaggerationibus, in scommatis posita. Cessant propositiones illæ in sensu, quo ab Authore proferuntur, esse imprudentes, impudentes, injuriosæ, scandalosæ, pessime sonantes, piarum aurium offensivæ, & si quæ sunt aliæ ex tuo *mellifico*, modestiæque tuæ promptuario prolatae nanix & censuræ; adversum quas, ut denique in nullo tibi debitor maneam, brevi compendio omnia, quæ hujusque dixi, velut in fascem collecta repeto in hunc modum,

Illud, quod est necessarium, quod utile, quod honestum, illud inquam non est imprudens, non impudens, non

injuriousum, non scandalosum &c. Sed considerationes a Soterio propositæ sunt necessariae, sunt utiles, imo utilissimæ, sunt honestæ, ergo.

Necessariæ:

Nisi velis juvenes cæco impetu, & inconsulto ad Religionis propositum profilire; Quid parentes de suis filiis hoc modo religiosum institutum improvide arripientibus? quid A catholicis de tali religionum more? quid prudentes omnes de tali levitate sentirent? Necessariæ sunt tales considerationes ipsis conscientiarum arbitris, quibus hoc ratione sui officii & curæ, quam sustinent juvenes candidatos prudenter, & debite dirigendi, eorumque saluti omni meliori modo consulendi onus vehementer incumbit. Necessariæ sunt ipsis juvenibus, ut præcognitis commodis, & incommodis præsentibus, ac futuris, actualibus, & moraliter possibilibus prudenter & tuto ad electionem, in qua salus animæ vertitur, procedant.

Utiles, imo utilissimæ:

Primum ipsis juvenibus, ut cognoscant commoda & incommoda, ne postea, quam temere elegerint, & retractandi tempus non sit, ea, quæ nunquam antea præviderint, aut auditione perceperint, occurrant, ob quæ respicere & penitentinem sentire suscepti propositi sine fructu cogantur.

Utiles deinde ipsi Directori, ut indicem expeditum habeat, ad quem juvenis deliberantis animum viresque exploret, videatque, quam adversum singula, quæ aliquando occurrere possunt, sit obfirmatus, neque subvereri debeat,
ne

ne non officio suo rite sit functus, atque ipse cliens olim pœnitundine forte tactus ipsius oscitantia succensere merito possit.

Utiles sunt 3. Ipsi Religiosis Ordinibus ut cum maxime: Utpote quorum plurimum interest habere candidatos in amore vocationis adversum tela nequissimi, eventurasque objectiones aut terculamenta immobiles, ad onera, & incommoda Religionis sustinenda, prævia meditatione paratos.

Utiles ipsi Reipublicæ Christianæ, atque etiã politicæ, quantum videlicet utriusque interest gnavos in claustris & impigros (non tales, quos vivere pigeat, qui nec sibi nec aliis profint) existere Religiosos.

Honestæ:

Quod enim in moralibus necessarium est & utile, illud etiam est honestum: Quæ propositio ut stricta, sic evidens est, nec argumenti egens. Si vero cui contra videatur, intellectum disponat, ut intelligat. Jam sic argumentor:

Quod honestum est, non est imprudens, non impudens, non scandalosum, non injuriosum, non offensivum, & cætera crambe; nisi virtus ipsa nonnulli imprudens, impudens, scandalosa, injuriosa videatur, sed, ergo. Satisne hæc? Sapienti satis, proinde & tibi Mellite, qui sapiens aut es, aut esse vis: tene, quod habeas.





CAPUT VIII.

Exponitur in particulari necessitas
& utilitas considerandi tales propositio-
nes contra aliquem Statum
pugnantes.

Fingamus adolescentem in bivio constitutum, qui potest
vel jam propendere ad religionem, vel esse prorsus
adhuc indifferens seu ad statum secularem, seu religiosum.
Adest tempus, quo necesse est ipsum decernere de statu ali-
quo deligendo: Propter multa pericula, quæ occurrunt
in seculari seu laico, seu ecclesiastico statu, adjicit animum
ad consideranda ea, quæ sunt de statu religioso. Consi-
derat igitur primum commoda, j^oo promissionem Christi
factam de centuplo & vita æterna iis, qui reliquerint Pa-
trem & Matrem &c. 2. Absentiam periculorum & occa-
sionum peccandi, quæ sunt in seculo, pravorum exem-
pla &c. 3. Copiam mediolorum ad salutem, ut sunt Regulæ
vigilantia superiorum, assidua Sacramentorum frequentatio,
exhortationes, bona exempla, libri spirituales, meditatio-
nes rerum cœlestium &c. 4. Absentiam curarum & sollicitu-
dinis rerum temporalium de victu, vestitu, habitatione &c.
5. Certitudinem, quam quis habet, se in omnibus facere

voluntatem DEI, si faciat id, quod obedientia præscribit.
 7. Occasionem congregandi plurima merita assiduis bonorum operum exercitiis. 8. Mutuam, meritorum participationem. 9. Dignitatem Sacerdotalem Angelis invidendam, quæ servit ad quotidianum Missæ Sacrificium, audiendos confitentes &c. 10. Suavitatem convictus fratrum habitantium in unum. 11. Securitatem de bona morte ob assiduam inter Sacerdotes vitam. 12. Facilitatem mortis, ob animum terrenis rebus & curis non implicatum. 13. Suffragia multa post mortem.

Hæc & alia considerans adolescens, ponamus, quod idem his commodis inescatus nihil sibi ultra providendum putet; nihil animum convertat ad ea, quæ contra religionem faciunt, seu id fiat levitate animi, seu arbitri oscitantia. His ita comparatis quid aliud censeatur acturus, quam ut Religionem tot commodis ornatam sibi statuatur amplectendam? Quid multis? decernit Religionem ingredi. Bene habet: Ponamus jam talem adolescentem esse duræ cervicis, intractabilem, libertati suæ perditæ addictum: Præterea voluptatibus carnis admodum insuetum, ut actibus iteratis etiam consuetudinem pravam contraxerit: Rursum, animo valde mobilem, sic ut obvia quaque tentatione ad peccata etiam gravia inducatur, nullamque sibi hac in rem afferat: Itidem valde assuetum & inhiantem commoditatibus corporis in victu, vestitu &c. Inseparabilem a quibusdam focis, amicis, consanguineis: Honoris præterea sui nimium retinentem, æstimatione suæ nobilitatis ebrium: Solitudinis, occupationum Spiritualium, aut humilium impatientem: Ad res externas, ut militiam, rerum temporalium administrationem &c. Unice affectum: Hoc, inquam, ingenio præditus adolescens si Religionem ingrediatur, quid putas eventurum? vel redibit, vel miserrime vivet, vel plane apostatabit: raro ex necessitate faciet virtutem: Talis enim quomodo cervicem suam jugo

obedientiæ submittet? Quomodo libertatem abdicabit? quomodo castimoniam conservabit? quomodo functiones ordinis, solitudinem, absentiam ab amicis & consanguineis, quomodo vitam obscuram, victum & vestitum pauperum tolerabit? profecto, vix, aut ne vix quidem. Consultius utique tali homini fuisset Religionem ne a limine salutare; consultius in antecessum considerare ea, quæ postea sensurus erat viribus suis majora; considerare difficultatem obedientiæ, castitatis, paupertatis, solitudinis, & reliqua quæ occurrunt; quæ si exacte considerasset, perquam facile vidisset, quantam in se experiatur constantiam roburque ad similia perferenda, proinde vel plane consilium tale abjecisset, vel certe talibus se propositis & resolutionibus præmunisset, ut si tandem esset Religionem ingressus, ad eorum occursum, tanquam ad rerum antea cognitarum non admodum expalluisset. Vides igitur, & palpas, quanta demum necessitas sit, considerare non tantum ea, quæ pro Statu Religioso militant, sed etiam ea, quæ ab eo prudenter absterrere possunt.

Quid igitur agat confessarius? Quid tumet ipse, Melite, si confessarius esses? proponeres, opinor, una ex parte ea, quæ attulimus, commoda: Ex altera vero parte, quid? quid e. g. de obedientia? diceresne obedientiam esse facile tolerabilem? Atqui hoc non esset proponere incommodum sed commodum? Quid igitur diceres, nisi obedientiam esse difficilem, & nonnullis etiam intolerabilem videri? nonne hoc ipsum, nonne, inquam hoc ipsum diceres? idem est de castitate, idem de paupertate.

Jam vero te sic proponente, audiat hoc ipsum, vel legat e Religiosis nonnemo; non inspiciat nec modum proponendi, nec circumstantias problematis, in quibus proponis, sed legens nuda hæc verba: *Intolerabilis videtur pro-*

propria voluntatis & libertatis abdicatio. Quid ille? infurgat vociferantissime adversum te; impudentem, propudiosum, seductorem juvenum, & nescio quid apellet; dicat, te calumniari Ordines omnes Religiosos tam Sanctos; loqui contra mentem tot Religiosorum, quibus jugum obedientiæ non intolerabile, sed suavissimum videtur. Oggniat tibi farraginem textuum e S. Scriptura, & SS. Patribus petitam; obtrudat exemplum Christi crucifixi; demum te sic premat: an in propria, vel in aliena persona hæc fueris locutus? utrumque pessime, cum infamia & injuria omnium Religionum; cum scandalo juvenum quibus Ordo Religiosus intolerabilis videbitur. Hæc, inquam, & similia, si tibi religiosus ille stomachator ingerat, quid tu ad hæc? Quid inquam, tu ad hæc? dicito, effare, mentem tuam sine circumscriptione ede.

Respondebis utique balatroni illi, te nunquam cogitasse similia, de Religiosis Ordinibus asserere, sed tantum juveni, cujus hæc præmeditari maxime interfit, consideranda proponere: Dices, hæc posse nonnullis occurrere, obedientiam plurimis quidem tolerabilem, multis tamen intolerabilem videri; ideo juveni proposuisse, ut ipse consideret, an sibi tolerabilis videatur. Has propositiones non esse scandalosas, si considerentur, in quibus circumstantiis, quo fine, qua mente sint propositæ satis agnoscere juvenem, hæc confessarium non asserere, neque ita credere neque sibi credendum proponere, sed tantum, ut exploret, an respectu sui obedientia tolerabilis videatur, an contra: Hæc, inquam, Mellite, tu ipse eras, hæc, inquam, & nil aliud, ut non potes, eras responsurus, negaturus proinde calumniam, injuriam a te in Ordines Religiosos illatam, negaturus te de industria hoc egisse, ut juvenem a statu Religioso abstraheres, sed tantum, ut ad prudentem electionem juvares,

Et

Et recte sane diceret; Quid enim alter jure quiritari? quid succensere tibi poterit, si sententiam animi tui, si mentem, qua ea protulisti, non ut asserta, sed mere, ut communiter obgeri solita, si finem, quo protulisti, nempe non ut deliberans talia credat, non ut ab Religione absterreatur, sed tantum consideret hos tanquam locos communes, ad eosque mentem suam exploret, an iis ferendis par sibi esse aliquando fidat: quid, inquam, si hæc intelligat, conqueri de te poterit?

An quod asserueris? Negabis te asseruisse.

An quod talia in aures adolescentis effuderis? Dices tibi hoc propositum, ut commoda & incommoda passim occurrentia ultro citroque exponeres, idque ad prudentem deliberationem utile, ac necessarium esse.

An quod tali modo protuleris? Dices te iis protulisse verbis, quæ passim, & vulgo proferuntur,

An quod Ordinem infamaveris, & malam existimationem inieceris? Dices, non esse rem novam & inauditam talia dici, imo quotidie audiri, & ipsis juvenibus incidere: ex re autem trita nulla infamatio; præsertim si non asseratur, aut confirmatur, atque in talibus circumstantiis proferatur, ut audiens palpet, non asseri, aut ad fidem faciendam talia dici, sed tantum ut vulgares næcias referri, & verbo, objici, quarum tamen consideratio non nihil, imo sæpe multum profit ad animum candidati explorandum, veramque vocationem discernendam.

An succensabit, quasi scandalum dederis adolescenti; sed dices, scandalum non dari in referenda re trita & cantata ex causa justa, & rationabili, uti est cognitio eorum,

eorum, quæ vulgo objiciuntur. Scandalum si quod sit, esse acceptum, non datum.

An succensebit, quod afferendo rationes *pro & contra*, perplexitatem in deliberante causaveris? Sed dices, hanc perplexitatem, si per eam nihil aliud intelligatur, quam suspensio & dilatio electionis, donec motiva *pro & contra* considerentur, esse utilem & necessariam & sine hac nullam haberi rectam deliberationem. Si enim electio fieret sine consideratione reciproca motivorum, fieret imprudenter & cæce, non ad salutem, sed perniciem deliberantis: Cæterum perplexitatem taliter sumptam non esse inextricabilem, quia tunc demum extricabitur, quando deliberans expensis probe omnibus motivis, adhibito confessarij consilio, judicaverit in Domino hunc statum sibi vel convenire, vel non convenire.

An succensebit tibi, quod juvenem relinquo perplexum, ut nesciat, quid credat; an res ita sit, ut proponitur, an secus? an afferas? an tantum referas? Facile respondebis, te in talibus circumstantijs protulisse, ut juvenis vel rudissimus advertat, hæc proponi tantum objectionis causa: Judicat enim confessarium non esse fatuum, qui possit jam suadere album, jam nigrum; jam hunc, jam oppositum statim. Judicat etiam alios viros probos, qui sæpe talia objiciunt tentandi causa, non esse fatuos. Proinde scit hæc a confessario proponi non tanquam ab ipso credita, aut ipsi deliberanti credenda (si enim ita crederet, aut credendum proponeret, suaderet oppositum ei, quod prius suaserat) sed tantum proponi ut objectiones, seu modo problematico.

An autem succensebit tibi, quod has objectiones ipse non diluas, aut resolvas? Repones in promptu, non esse causam solvendi aut diluendi id, quod non asseritur, atque
ab

ab ipso audiente cognoscitur, non assertive, sed tantum deliberative, id est ad considerandum proponi. Causa enim solvendi esset, ut eximeretur prava opinio, seu infamatio Religionis, inde forte consurgens: atqui dices, nullum esse infamationis periculum, ubi aliquid non assertitur, & non asserti, palam est audienti. Quæras præterea ex ipso objurgante modum eas solvendi: An dicendo, talia non spargi, nec alicui hominum incidere? hoc enim vero esse ludere, modo referendo tanquam rem: quæ sæpius objicitur & spargitur, modo dicendo, quod nunquam audiatur, aut objiciatur. Et vero miraberis, quod a te petatur, ut neges, & dicas, illud nunquam dici, nulli indicere, quod toties auditur, & ex re nata cuilibet incidere potest. Iterum quæres, an potius sic solvere debeas, ut expresse moneas juvenem, hæc & talia dici quidem, sed in re ipsa non esse vera, neque a te credita, neque ipsi deliberanti credenda. Sed facile respondebis, hoc non requiri, cum juvenis plane sciat, te hæc & alia non assertive proposuisse, minus confirmasse, nec voluisse ab juvene credi, sed tantum retulisse ut sæpius sparsa, sæpius objecta, atque adeo cum nihil novæ opinionis sinistrae juveni ingesseris, non esse te obligatum, eam juveni directe eximere; alioqui multum negotii haberet confessarius, si omnia prave & falso ab aliis dicta & audita de statibus Religiosis, deberet refellere. Confessarii officium potius est, ut juvenem admoneat, talia considerare; eum debitis muniat præfidiis, ac monitis competentibus instruat, quo ipsemet tales objectiones solvere valeat: Hoc autem, quod monitorum est, dices te ad satietatem fecisse, cum juveni motiva pro statu Religioso plurima & gravissima dederis, & alias privatim multa dixeris, quibus ille instructus tales objectiones facile diluere possit, saltem respectu ad suam personam. Talibus enim principiis præmissis, facile animadversurum juvenem quantum talibus objectionibus deferendum sit, v. g. de difficultate

tate

tate obedientiæ, cuius solutionem deliberans tunc optimam daturus sit, cum ex cognitis datisque alijs principijs, simul etiam inspecta vehementia suarum propensionum, iudicium apud animum suum facturum est; sibi ejus jugum intolerabile non fore.

Hæc opinor, Mellite tu ipsemet eras responsurus in casu, quo tu deliberantis arbiter ac moderator ei motiva *pro & contra*, sine partium studio proponeres, quæ proinde pariter a me in causa Soterij responderi ne admirare; responderi, inquam non tantum tibi, qui lapidem primum movisti, non tantum aliis, quos tu tibi succenturiasti, verum etiam ipsi Societati JESU, utpote adversus quam propositiones illæ contra statum religiosum generatim militantes perinde, atque adversus alios militant. Cæterum scrupulum illum, cur objectiones contra Societatem *speciatim posita*, speciali quoque loco dissolutæ sint, hunc, inquam, scrupulum, uti & alia, quibus machinam tuam inædificasti, postea pluribus eximam, quam tui in gratiam ea, quæ hactenus de objectionibus contra Religionem generatim dicta sunt, ad causam tuam, quod brevissime facturus sum, specialius applicuero.





CAPUT IX.

Quod ipse Mellitus nequivisset aliter agere, & scribere, quam egerit, scripseritve Soterius.

Fingamus igitur adolescentem, qui deliberet, an statum stabili loco addictum capeffere debeat nec ne: Tu Mellite esto ejus moderator. Primæ tuæ partes erunt, ut sis ipse indifferens, id est vocantem DEUM non anteeas, sed subsequaris, nec juvenem impellas potius, quam retrahas, sed plenam ei libertatem relinquant, consultandi coram Deo, deligendique seu ingressum, seu repudium. Hoc facto, credo, ei spatium relinquant, ut consideret, quid sibi hac in parte expedientius, convenientiusque videatur: Proinde hæc duo ei ante omnia præscribes, ut consideret primo naturam, & conditionem Ordinis; in quem respicit; deinde propensiones suas, vires, ingenium, quo videlicet exploret, atque intelligat, quo pacto sibi cum hoc Ordine, & ei vicissim secum conveniat: Atque hoc imprimis, utrumnam moraliter speret, se in hoc Ordine pie, cum solatio, animique tranquillitate, & satisfactione victurum. His tute arbiter credo, sic informatis eo descendes, ut (quod ad ea, quæ dixi, atque ad summam deliberationis unice necessarium est) rationes etiam, ac motiva in utramque partem eidem proponas: Spero enim te non tam imperitum fore, ut ea tantum, quæ suadere ad talis Religionis amplexum, sed & quæ arcere ab eo videantur, exponas.

Sta.

Statues igitur pro parte favente imprimis prærogati-
vas Ordinis, ex quibus ejus æstimatio concipi, gignique
possit, uti est antiquitas, sanctitas, celebritas &c. tum ejus
functiones positas in laudando diu noctuque Deo, ædifi-
cando proximo, quotidianis, atque assiduis, quorum occa-
sio omnimoda est, pietatis, aliarumque virtutum operibus:
denique ea omnia, quæ pro Statu Religioso in communi
faciant, huc apertè conferes: Subjicies etiam commoda
temporalia ex rigore non admodum gravi, non perpetuis
studiorum laboribus, item sufficientiâ rerum necessariarum
ad victum, vestitum &c. postremum ipsa commoda stabili-
tatis eodem in loco, quæ tu omnia enucleatius Floxberto
tuo, dilucidiusque explanabis; ordinem, varietatem, cate-
namque mirabilem occupationum, quæis & augeri identi-
dem merita, & vita sine tædio traduci possit: Narrabis ei
præterea modum mortificationum præscriptarum, & alia-
rum, quibus multi hodièque admirandi extiterint. Insuper
copiam exercendi Zelum in Parochiis, in Scholis. in Acade-
miis, in obeundis longissimis etiam ad ludos missionibus,
præter illa, quæ crebrò in rudibus instruendis, verbo DEI
prædicando, heterodoxis revocandis egregiè confiunt.
Illud ad extremum magnopere prædicabis; libros ingenti
numero, magna cum gloria editos, inter quos tu, credo, lo-
co non ultimo Epistolas tuas Apologeticas, & nuper nos Dia-
logos tanquam stellas non infimæ magnitudinis ostendes.
Illos verò tomos Anecdotorum, quos tu ad latus Bibliothecæ
SS. PP. inter Dacherios, & Mabillonios, *ut luceant*, collo-
câsti, digitum præprimis intendes.

Hæc consideratione non perfunctoriè, ut decebat,
peractâ, alteram quoquè paginam factururus, non deeris
utique partibus periti moderatoris, tuoque clienti sincere,
ut oportet, candidèque omnia revelabis incommoda: Nisi

E

hoc

hoc præcisè contendas, nulla omninò illic incommoda de-
prehendi: Credo respectu tui, qui crucem in deliciis po-
nas: Attamen aliqua saltem, quæ aliis forsan incommoda
sint, aut certè videantur, vera, an imaginaria, levia, an gra-
via, aliqua saltem recensebis: Nihil enim in mundo omni
ex parte beatum. Aliquid erit, quod seu sibi deesse candi-
datorum nonnulli ægrè ferant, aut ægrè ferre possint, seu
sibi adesse. Quippe non omnes eadem ficti massâ sumus:
aliis hoc, aliis aliud grave; contra, quod his incommo-
dum, alteris commodum, ac vicissim, videtur. Adeò moti-
bus contrariis mortales incedimus. Dabis igitur hoc ple-
niori deliberantis institutioni, ut ne iis tantùm, quæ grata
sunt, sed & aliis, quæ ingrata, ad perfectum imbuatur; Quo
rebus utrinque perspectis, nôrit è re sua decernere.

Da igitur mihi incommoda in hoc statu occurrentia;
da, inquam, doce, quænam illa? Status absque omni in-
commodo in hoc terrarum orbe, si nescis, chimæra est.
Nunc ego te Reformatorem, te castigatorem Soteriani libel-
li appello: Da, recense incommoda: Si velis omnia in-
commoda nomine & ingenio commodorum vestire, desi-
net problema, supervacua erit deliberatio; si perpetuita-
tem loci, superioris, sociorum, ex incommodis excludas, si
ægrè feras, inter incommoda fieri mentionem commodi-
tatum nimirum, si vitæ otiosæ, si neglectus studiorum, si
hæc, inquam, ex indice incommodorum proscribas, quæ er-
go incommoda (quæ memorari oportet,) recensebis? Pro-
fectò si tu ipse commentariolum illum considerationum
composuisses (quæ tamen res plusquam anecdota est) si tu,
inquam, composuisses, aut componere deberes, quæ pone-
res incommoda (nimiùm sæpe percontor? dicito paucis
vel nulla? vel illa ipsa, quæ Soterius? vel similia? Nulla?
Quæ deliberatio, quæ sola comoda consideret? ergo ali-
qua: atque hæc vel ex modo vivendi, vel ex circumstantia
stabi-

stabilitatis, aut functionum petita? Quid igitur aliud dices, quàm v. g. molestum videri, eundem semper locum, eosdem socios, superiores? molestum chorum? in vivendi modo aliquid exponeres, quod incommodum quibusdam videatur; si non austeritatem, certè commoditatem nimiam videri dices: Hæc & similia tandem inter incommoda recenserè deberent, tuque ipse recenserès, nisi persuadere velles clienti tuo, nulla omnino esse incommoda, quod sanè ineptissimum foret. Atque si etiam hoc persuadere velis, saltem ea enumerare deberes, quæ aliis, quæ ipsi clienti posse videantur esse incommoda. Te igitur dicente e. g. perpetuitatem loci, sociorum, superiorum videri molestam, tædiosam: Si quis in te invectus, quæ tu in Soterium dixisti, diceret, nonne rabidum eum putares, qui nullâ rationabili causâ hæc objurgaret, quæ tu nunquam asserueris, sed considerandi tantum causâ ad objectionum instar proposueris? mentem, æquitatem in homine requireres: Et bene,

Id ipsum Soterius requirit in te, qui tam parùm è ratione tuum Chartacium querimoniis & scommatis iniquissimis oppleveris. Nequè de modo proponendi quidquam in Soterio desideres, in talibus circumstantiis protulit, ut vel cæcus videat, objectiones esse; disertis, expressisq; verbis problema professus: præterea plerumque usus verbo: *videtur*: Quod vel in Sancto Thoma, tu qui in ejus *Summa* totus habitas, eumque, si superis placet, ad pilum devorasti, quod, inquam, vel in Sancto Thoma cæcus de colore cernere, & intueri poteras, quid significet, quo sensu materiam subjectam afficiat: e. g. dum dicit: *Videtur, quod ebrietas non sit peccatum: Videtur, quod usus vini universim sit illicitus: Videtur, quod charitas non sit virtus*: Has & similes propositiones, credo, scandalosas, hæreticas, insanas non vocabis, quia vides objectionum

loco proponi: Scio, quòd statim sis inelamaturus, Sanctum Thomam objectiones taliter propositas etiam solvere: Rectè, quia, qui aliquam conclusionem determinatè asserit, & sustinet, tenetur etiam objectiones solvere; alioqui conclusio relinquetur dubia, & doctrina manca: Contrà qui proponit quæstionem, seu considerationem problematicum, & modo problematico, nullam ponit conclusionem, scitumque determinatum, nec dicit hoc sequendum, vel illud, sed tantum rationes pro & contra adducit. Sic confessarius nullam considerationis partem sustinet, nullam tœtur, sed indifferens est: Nec illas ex suo sensu confirmat, sed simpliciter proponit ad hoc, ut ipse deliberans argumentis utrinque perpensis statuatur, quid sibi faciendum, vel omitterendum: In quo illud etiam observandum, quòd ille tantum, & non alius, debeat objectiones solvere, cui proponuntur: Objectiones porro in considerationibus de statu vitæ deligendo, cui proponuntur? ipsine confessario? quis hoc somniat? proponuntur igitur ipsi deliberanti; ut à ejus propensionibus & animo potissimum pendet earum solutio; ipsius enim est statuere, an sibi fidat in tali statu piè, & cum solatio vivere, an tentationes vincere, an disciplinam, ac modum vivendi cum animi satisfactione sectari. Quæ tu omnia, bone Mellite, quia parum vidisti, idcirco in re tam obvia miserè (modò ne animo tam perturbato) cæcutisti. Claudio in pugnum universum ratiocinium:

Quod erat utile ac necessarium proponi, & modo debito propositum est, illud non impudenter, non fatuè, non injuriosè propositum est: atqui considerationes à Soterio proponi erat utile, ac necessarium, & modo debito propositæ sunt, quia nec Mellitus, si aliquid contra talem statum proponere debuisset, aliter proponere potuisset, quàm proponendo taliter, ut omnibus appareat, non esse asserta, sed tantum objectiones, igitur ritè, legitimèque sunt propositæ, non imputenter, non fatuè, non injuriosè &c.

At

At at occurrit, prudentiùs proponi potuisse, nempe sic, ut omnia, quæ proponuntur, inter incommoda, demonstrantur esse mera commoda: Gerræ! Qualis tunc deliberatio, ubi mera commoda, nulla incommoda?

Saltem non universaliter dixisset: *Vita commodior, quam &c.* Sed potiùs sic: *Aliquorum vita commodior. Hoc superfluum: Ubi constat, nihil affirmari.*

At saltem sic, ut in singulis punctis addatur: *Considera filie. g. per petuitatem loci, superiorum &c. quam multi putant molestam, sed reipsa jucundissima, dulcissima est &c. vita commoda, in qua tamen tentationes facile vincuntur: rursus gerræ! Hoc confessarius minimè facere debet, ut illi speciem ejus molestiæ minuat, aut allevet; alioquin enim occurrente hodie vel cras ipsâ molestiæ experientiâ, accusari poterit à juvene confessarius, quòd sibi rem suaviorem, jucundiorémque, quàm reipsa sit, proposuerit, ac depinxerit, proinde culpam sequioris suæ electionis in confessarium jure poterit refundere. Igitur proponenda est ei difficultas nudè, sincerè, genuinè, nihil addito, nihil detractò; imò prudentis confessarii est, nonnunquam difficultatem etiam aliquantum aggravare, quo nimirum juvenis successu temporis tantò minùs conqueri possit, tanquam difficultatem talem antea non satis apprehendisset, & è contrario faciliùs eam perferat, si minorem, quam cogitaverat, invenerit. Si sic, ut tu vis, proponerentur, non proponerentur incommoda, sed commoda: quidenim commodius, quàm *vita commoda, in qua tamen facile vincuntur tentationes?**

Hoc tandem petis, ut singulis punctis addiderit Soterius hæc verba: *Hæc non est mea sententia, sed aliis multis sic videtur: Eadem verba repetenda in 2. eadem*

in 3. puncto, ad modum responſionum in Litaniis. Rſp. Si nihil aliud, quàm hoc eras petiturus, hoc longè faciliùs adipiſci poteras, quàm tanto excitato tumultu, nequè tantè erat, ut aded te, tuùmque Sanctum Ordinem læſum proſciſſum, contemptum quirirè: Cæterùm ne & hæc umbra te exterreat, ex juvenibus ipſis percontare, ànne unquam in mentem ijs venerit, Soterium hæc ut *aſſerta*, ut *eſſata*, & non uti diſertè inſcripſit, ceu *conſiderationes*, & *objectiones* protuliſſe? an putârint Soterium adeo delirâſſe, ut jam aſſeruerit abſolutè, Ordinem aliquem ſuſcipiendum, jam reſpuendum? Nonne univerſa libelli fabrica, modus inſtruendi, modus tractandi problematicus hoc ipſum homini ratione pollenti ad oculum exhibent? Niſi velis, ut, qui objectiones proponit, poſt quamlibet propoſitionem identidem repetat: *Hoc ego non ſentio, non aſſero, non mea hæc ſententia*: Dij boni, quàm ridiculè! Quiſque tyrunculus ſi videat in titulo poſitum: *Objectiones contra concluſionem propoſitam*; ſatis edoctus eſt, quo ſenſu propoſitiones illæ ſumendæ ſint, ſcilicet non tanquam aſſerta Magiſtri, ſed tanquam rationes in oppoſitum occurrentes. Invenies hoc ipſum factum in conſiderationibus Soterij, ubi pro titulo ponit *I. conſiderationes pro ſtatu N.* deinde *conſiderationes contra ſtatum N.* Quid ampliùs deſideras?

Hoc tamen tibi do, ne fruſtra cavillèris; poſſe confeſſarium, imò convenire, ut ſi videat candidatum aliàs ad quendam ordinem idoneum, aut propenſum, in quodam puncto, ob immaturitatem judicij, aut alia de cauſa adhæreſcere, eundem dirigat, doceat, inſtruat, quo ſenſu id intelligendum, quomodo talis ſuperanda difficultas &c. Notum enim eſt & ex ipſo Soterij ſæpius iterato monitu perſpicuum, eum conſiderationes illas non propoſuiſſe, ut eo velut gygis annulo, aut baculo laureo juvenes inſtructi ſibi-
met

met ipsos sufficere, atque ab confessario velut provinciâ
suâ defuncto, suis ipsos consilijs relinquendos putaverit;
Sed hoc ante omnia, atque in capite posuerat, ut deliberatio
non privato juvenis unius studio, sed conscio, & coope-
rante confessario institueretur; Suppeditatâ eum in finem
materiâ, circâ quam sterile alioqui juvenum judicium, &
pauca recogitans versaretur, atque in eo indiculo velut in
speculo monitorio commoda & incommoda eligendi statûs
intueretur; tum verò nec magnum, nec parvum citra mo-
deratoris consilium statueret, cum quo pariter rationes su-
as, suas, quæ occurrunt, difficultates conferret. Hæc fuit
methodus, hoc consilium Viri Sapientissimi, quo tantum
abest, ut ullum sit periculum scandali, præcipitij, perplexi-
tatis, ut potiùs expeditissima tutissimâque ad scopum pro-
positum perveniendi via; cùm omnia præmunita sint, tum
ne mens deliberantis cæcè, improvidè non præcognitis
difficultatibus ad electionem ruat, tum ne vanis & imagi-
narijs umbris, falsisque terriculamentis ab statu sibi conve-
niente arceatur, præsentem identidem, & si quâ fortè con-
sultans declinet, in viam ocyùs reducente confessario.
Quæ ità ab Soterio re ipsa facta, ejus hoc in genere felicis-
sima dexteritas; Atque ità ab alijs moderatoribus fieri
laudabiliter & posse & debere, ejus sapientissima præcepta
commonstrant.





CAPUT X.

*Demonstratur peculiariter, rectè factum esse, quòd
considerationes contra statum aliquem factæ propo-
nantur, absque solutione objectionum; adeoque
inanis est querela Melliti de omissis
solutionibus.*

Maximus clamor Melliti versatur in eo, quòd
considerationes contra statum loco fixum non
sint solutæ, cum tamen considerationes contra
Societatem Jesu tam dextrè (ut ipse ait) sol-
vantur. Hic ille putabat Rhodum esse insuperabilem,
nodum insolubilem; hæc causa ejulandi, hæc calumnian-
di, hæc crines evellendi. Quamvis autem satis clarè &
perspicuè huic scrupulo jam satisfactum in præcedentibus
sit, ut tamen hæc umbra penitus dissipetur, nec quidquam
caliginis in Mente Melliti remaneat, demus illi hoc pau-
xillum operæ loco præsentis. Vult igitur Mellitus confes-
sario incumbere, ut solvat omnia, quæ contra statum ali-
quem proponuntur, atquè ita solvat, ut vel ostendat, esse
ficta & falsissima, aut frigida & inepta, id est, esse talia,
quæ prudenter abstergere non possint, dempto proinde o-
mnis scrupulo, dubio, aut perplexitate.

Jam

Jam tales solutiones non debere fieri sic demonstro:
Vel deberent fieri ex officio confessarii desumpto ex praxi
proborum confessariorum; vel propter bonum clientis,
ad rectè faciendam deliberationem; vel ad consulendum
famæ Religionis (alia ratio non occurrit) sed ex nullo
horum capite debent fieri tales, ut tu vis, solutiones, imò
ostendam, nec posse fieri, ergo. minorem probo; igitur
adverte animum ad sequentes propositiones:

*Jo. non est confessarii solvere illas objectiones,
quamdiu deliberans est indifferens, & non determinatus
ad statum aliquem.*

Ratio est, quia confessarius debet commoda & incom-
moda indifferenter proponere, id est non magis pro una,
quam pro altera parte stare: Si autem solveret eo modo,
quo vult Mellitus, tunc non indifferenter proponeret, quia
magis favoriseret parti Religionem suadenti; ut evidens est:
proponeret enim argumenta pro tali statu, & simul illa
confirmaret objectionum solutione: Objectiones autem
non pateretur habere ullam vim, cum eas enervet, adeo-
què positivè suaderet unam partem, nempe Religionis in-
gressum. Quomodo enim potest magis suadere, quam
argumenta proponendo, ut ingrediatur, & simul osten-
dendo, nihil esse quod ipsum debeat à Religione avocare?
Intellige, mi Mellite, intellige, lucernam etiam, si res nec-
dum sat clara sit, accende. Jam verò dicis tu mihi, estne hoc
confessarii, ut deliberanti unam tantum partem suadeat?
ad unam tantum partem invitet? Nonne hoc est primum
confessarii principium, ut ipse sit indifferens, juvenemque
non ad unam potius, quam alteram partem stimulet? Secus
non esset dirigere deliberantem, sed ex destinato piscari, &

attrahere candidatos; nequè esset agere arbitrum, sed potius advocatum pro una sola parte, cum iusta parentum & aliorum Ordinum querela. Intelligis tandem, credo: clarius tibi dicere non valeo.

Quia verò loquimur de officio confessarij, illud melius exerceri non potest, quam si exerceatur juxta praxin probatorum virorum cum candidatis agentium, & aliorum communiter confessariorum. Atqui praxis probatorum virorum & confessariorum non est, ut ipsi solvant objectiones. Sic saepe probi parentes filijs Religionem cogitantibus proponunt varias difficultates; nequè ipsi eas solvunt, sed expectant, quid filius sit responsurus. Sic & confessarius saepe objicit multa, atque debet objicere, nequè ipse ea solvit, sed explorat mentem clientis, quid ipse ad ea respondeat: Res est quotidianæ experientiæ; igitur non est de officio confessarij solvere objectiones plenè, id est ita, ut vult Mellitus, nullo relicto scrupulo; hoc enim non esset indifferenter proponere, sed ad unam partem determinare. Præterea cessaret finis proponendi considerationes de vitæ statu eligendo. Finis enim proponendi est, ut cliens consideret, quid eligendum: Si confessarius ita solvat, ut tollat ei omne dubium, & ostendat omnes objectiones nullius esse momenti, quid erit opus ulterius considerare? solutis enim planè objectionibus, quaestio est soluta. Item finis alter proponendi considerationes de vitæ statu, est, probare constantiam & soliditatem rationum, quibus cliens innititur; itémque explorare ejus animum. Totus hic finis desinet, si ipse confessarius objectiones solvat. Tunc enim non erit opus quaerere, quid cliens respondeat? quis ejus animus? quæ rationes? cum ipse confessarius responsionem clientis praeveniat.

Atque

Atque hæc de officio confessarij, quamdiu scilicet confessarius servat Methodum purè deliberativam, id est, quamdiu considerationes pro & contra proponit, cliente adhuc ad nihil determinato Hinc addidi superiùs has voces: Quamdiu deliberans est indifferens, & non determinatus ad certum statum. Oportet enim illum in sua indifferencia relinquere, non attrahere, donec ipse se determinet. Tunc igitur quando jam determinatus est, tunc, inquam, debet eum confessarius juvare ad objectiones meliùs & efficacius dissolvendas. Dico *meliùs, & efficacius*. Nam sinè dubio ipse deliberans, antiquam se determinaret, jam aliquam solvere sibi debebat objectiones illas (cum alioqui se non determinasset) ut autem plenè & planè solvantur, juvari postmodum potest, imò, si opus sit, debet à confessario. Hoc pariter locum habet in eo, qui inclinatur (absque ultima determinatione) in statum aliquem: Huic enim si vel interroget, vel advertatur specialiter in quibusdam objectionibus laborare, confessarij erit, eum in illis resolvendis aliquando juvare.

Hinc jam palpabis, cur objectiones peculiari loco contra Societatem propositæ B. Aloysio, sint postmodum ad eam dextrè, ut dicis, resolutæ; Proponitur enim illic Aloysius prout jam determinatus ad ingressum Societatis, proinde hoc ipso proponi debebat. quomodo sibi objectiones solverit: Jam enim dixi, quòd candidatus tunc, quando est determinatus, sinè dubio jam debeat habere solutas aliquo modo objectiones: Alioqui enim non potest esse determinatus.

Sed adhuc clamas, quare Soterius eam rationem proponendi secutus tantum est in Societatis objectionibus? quare ibi tantum, & non alibi candidatum determinatum

pro-

proposuerit? Rsp. Quid ad te? Nulla tibi, aut alteri cuiquam fit injuria, nisi velis, ut totum libellum talibus historiis, quomodo se candi lati ad hunc, vel illum, vel tertium Ordinem determinaverint, implere: nulla, inquam, fit injuria, cum in aliis considerationibus id praestet, quod confessarii est nempe rationes pro & contra indifferenter proponere; in B. Aloysio autem agat etiam Historicum referendo, quomodo Societatem ingressus objectiones sibi solverit.

Sed dicis, hanc esse magnam partialitatem: Rsp. esse talem, quæ nemini faciat injuriam; & quaero, fecissetne injuriam, si in libello aliquo speciali nullas alias considerationes, quam pro Societate, scripsisset, omittis omnibus aliis? Aut tu putaresne, te alicui facere injuriam, si libellum componeres, in quo nihil aliud ageres, quam rationes pro tuo Ordine proponere, & objectiones dissolvere? Atqui per talem libellum tuo magis, quam aliis Ordinibus faveres: Quid inde? quis tibi hoc poterit prohibere? favere tuo, non est aliis facere injuriam, imò charitas ordinata id exigit. Neminem enim impedis, quo minus etiam pro suo Ordine considerationes, & motiva conscribere & proponere possit.

Hæc pro interim, donec infra pluribus tibi ostendamus, rectè Soterium egisse, quòd objectiones contra Societatem factas peculiariter resolverit. Cæterum ut non conqueraris, reflectes te ad illa, quæ post initium hujus opusculi attulimus, ubi diximus objectiones contra statum Religiosum in communi propositas, item contra Statum Ordinem mendicantium in communi, pariter, & eodem modo militare & esse propositas contra Societatem JESU (velut objectiones contra Statum loco fixum in communi proponuntur etiam contra Statum Benedictinum) & tamen objectiones illæ etiam respectu Societatis nullibi sunt solutæ:

tæ: illæ enim solutiones, quas partialitatis accusas, sunt de aliis objectionibus Societati peculiaribus, non de illis, quæ contra Religionem in communi proponuntur. In his ergo Author nihil, nec pro Societate respondet, sed relinquit illas etiam respectu Societatis omninò insolutas: Propterea tamen nullus adhuc Jesuita ivit, in furias, nequè conquestus, quòd saltem Societatem Jesu non exceperit, aut pro illa non responderit: Quid ergo tu conquereris?

Attende jam, quid dicam. Demonstro tibi, quòd si Soterius objectiones illas contra Societatem speciales non solvisset, Societati injuriam fecisset: quia imprimis onerasset eam omnibus incommodis Religiosi Statûs in communi, deinde etiam incommodis Ordinum mendicantium & locum mutantium & plurimis incommodis Petrinorum, quæ omnia incommoda ille etiam respectu Societatis non solvit. Præterea autem onerasset illam longè plurimis incommodis ipsi soli propriis (aliorum enim Ordinum incommoda sunt vel nulla peculiaris, vel pauca admodum; Societati autem obijciuntur longè plurima) si igitur ista non solvisset, ei pejùs, quam aliis Ordinibus, fecisset proinde injuriam.

Tu quoque similiter conqueri fortasè posses de injuria, si Soterius peculiare objectiones posuisset contra Ordinem Benedictinum (sicut posuit contra Societatem) sique eas insolutas reliquisset; posses enim dicere: quare contra meum tantùm Ordinem peculiare objectiones proponit, cùm positæ jam sint inter illas, quæ sunt contra statum loco fixum? possent ergo & Jesuitæ causari injuriam, si præter objectiones Ordinum mendicantium, illis imponerentur aliæ peculiare insolutæ: è converso quàm parùm nunc conqueruntur Jesuitæ, quòd objectiones Ordinum mendicantium Soterius expressè non solverit, ita nec tu justè quereris, quòd non solveris objectiones Ordinum
loco.

loco-fixorum. Cæterùm (ut dicam, quod est) nec verò pro societate positæ sunt tales solutiones, quales tu pro tuo Ordine requiris, nempe tales, quæ ostendant, objectiones esse *falsissimas, confictas, frigidas, ineptas &c.* sunt enim solutiones tantùm obviæ, & strictissimè subjectæ, quæ certè omnem scrupulum non tollunt: Igitur eas solutiones Societati sinè causa invides. Plura alibi.

2. *Dico non expedire universaliter, ut confessarius objectiones contra statum aliquem factas eo modo, quo Mellitus vult, dissolvat.*

Ratio est, quia posset juvenis hodie vel cras confessario imputare, quòd sibi incommoda nimis molliter proposuerit, eorum arduitatem & difficultatem mitigaverit, cum de facto in iis longè majorem difficultatem, quàm sibi à confessario propositum sit, experiatur. Declaro rem in exemplo: Inter considerationes contra statum loco-fixum proponitur etiam metus, ne superiores, cum sint perpetui, fiant despotici & antipathici: Jam si, quemadmodum tu vis, confessarius deberet hanc objectionem resolvere, quid deberet dicere? vel hoc, quòd nullum sit hujus despotismi, vel antipathismi periculum? vel quòd non sit majus periculum in hoc statu, quàm in aliis? vel quòd, etsi aliquid tale eveniat, hoc tamen suave sit Religioso, purè Deum in Religione quærenti, & crucem Christi amanti? nunquid aliquod horum deberet dicere? cum hæc sint tuæ ipsius solutiones, quas contra illam considerationem producis.

Jam pono casum, quòd Candidatus talem solutionem audiens revera decernat talem Religionem ingredi: Po-
namus,

namus, eum esse ex natura valdè capitosum, & sui judicij, libertatisque valdè amantem. Contingat deinde, ut re ipsa in talem superiorem incidat, qui & sit despoticus, & huic singulariter antipathicus: Candidatus ille, nunc Religiosus, extremè est afflictus, præter jugum obedientiæ, quod ei propter naturalem suam cervicositatem alioqui difficillimum est, patitur etiam odium & persecutionem à superiore. Calum hunc tu utique non negabis: Explodereris enim ab omnibus.

In hac igitur ærumna Religiosus iste reflectens se ad dicta Confessarij (qui ei difficultates istas antea aded emollierat, & inalbaverat, quas ipse jam aded duras & nigras experiatur) quid dicet? facile assequeris, quid dicturus sit, Culpam confessario imputabit, confessarium minoris sinceritatis reum aget, seu id meritò, seu immeritò; Cæterum suas calamitates denique confessario adscribet: dicet enim: Quòd, si sibi confessarius genuinè difficultatem istam proposuisset, talem statum amplexus nunquam fuisset, sed talem potiùs, in quo superiores non sunt perpetui, aut locus non stabilis. Se planè nunc perspicere, genium suum & indolem pro isto statu non quadrâsse.

Dices, hanc esse ineptam querelam, & quæ omnibus dyscolis Religiosis patrocinetur. Rsp. Esse ineptam in hoc, quòd pauper Religiosus non faciat ex necessitate virtutem; cæterum non esse ineptam quoad hoc, quòd confessarius istas difficultates aded faciles, aut nullas esse proposuerit: Si enim proposuisset genuinè, & citra omnem alleviationem, fuisset candidato certè meliùs consultum: Potuisset enim ingredi Religionem talem, in qua vel Superiores non sunt perpetui, vel locus ordinariò non stabilis; quo casu has misérias pati non cogeretur. Hæc puto aded esse clara, ut omnes facile sint assensuri.

Con-

Confessarius ergo, ut omnes istiusmodi querelas præscindat, & culpam malæ electionis candidatus eidem adscribere non possit, siquidem rectè & prudenter agere velit, debet difficultates nude, sine omni elevatione proponere, nequè tantùm illud cogitare, quod sanè ineptissimum est, nempe, esse purè quærendum Deum, amandas & optandas cruces; Hæc enim, etsi certissima sint, tamen sperandum, aut expectandum non est à Candidato, ut omnes difficultates æquanimè sit laturus; Sed considerata est humana infirmitas, quæ sæpe etiam apud bonos Religiosos in rebus etiam non gravibus succumbit.

Hic tu fortè dices: tales non esse aptos ad statum Religiosum; Lepide scilicet. Hic enim verò te ipsi superiores Religiosorum optimè resellent, qui probè sciunt, quam nonnunquam compati oporteat infirmis, quam providè, discretèque agere, ne subditis plus quam ferendo sint, imponant. Ex tuo contra principio sequeretur, superioribus nullam esse necessariam discretionem, quia si illi tantùm sunt apti ad statum Religiosum, qui lætantur in omnibus adversis, reliqui omnes erunt inepti, qui aliquando de indiscretionem Superiorum meritò, vel immeritò queruntur, quorum proinde ne ulla erit habenda ratio, ut qui digni non sint filiorum loco haberi, utpote destituti sincerâ idoneorum notâ. Mi bone vir, temetipsum, quæso, examina, an tu ejusmodi sis, habeásque qualitatem illam ad idoneum Religiosum à te requisitam. Nimis multum probas, adeoque nihil.

Debet ergo Confessarius considerare, non tantùm, quid perfectissimus Religiosus in suo statu esset factururus, aut quomodo difficultates laturus, sed hoc, hoc præcipuè considerare, quomodo iste in individuo candidatus sit hujus determinatæ Religionis incommoda laturus, neq; ipsi ullo modo

modo debet extenuare difficultates. sed potius aggravare
ut candidatus antecedenter sciat & penitus illas comprehen-
dat; quo fiet, ut postea causam habiturus non sit contra
confessarium conquerendi, aut dicendi, se esse deceptum,
aut suavis verbis inductum. Hæc de confessario, ut qui
immediatè & ultimò concurrit, ad electionem faciendam;
non autem de concionatore, aut alijs qui aliquando Religio-
nem aliquam positivè suadent, & suadere possunt, quia ipsi
ad electionem ultimò & immediatè non concurrunt, sed id
negotij candidato ipsi & confessario relinquunt:

Alium casum tibi propono ex occasione illius confi-
derationis: *Vita videtur commodior, quam ut
sufficiat adversum tentationes.* Est candidatus, qui
pravis in materia lubrica habitibus ex longo tempore sit
insuetus. Cogitat ingredi ordinem aliquem minus auste-
rum. Ibi ex defectu austeritatum externarum, atque ob cor-
pus bene nutritum relabitur in antiquas sordes; surgit; rur-
sus labitur; & sic iterum, atque iterum, cum ingenti suæ sa-
lutis discrimine. Casum tu certè non negabis, nisi dicas, ex-
quisitas austeritates nihil omnino præ earum defectu ad li-
bidinem domandam prodesse.

Jam quæro ex te: Nonne præstitisset, ut talis *habi-
tuatus* vel planè Ordinem religiosum non fuisset ingressus,
& in seculo potius uxorem duxisset? vel certè talem inijsset
Religionem, quæ plures & exquisitas haberet austeritates?
sed jam factum est; quod infectum fieri nequit: Causa
hujus miseriæ magna est; confessarius qui licet agnosceret
candidatum consuetudinarium, in consideratione tamen
supra positæ propositionis semper addebat instar solutionis:
Esse vitam quidem commodam, sed tamen abundare multis
alijs medijs ad vincendas tentationes: Hinc enim animatus
candidatus statuit sibi talem Religionem suscipiendam.
Quæro: Expediebátne, ut candidato talem solutio-
nem proponeret? verissimum quidem dixit confessarius;
Sed expediebátne? an non potius expedivisset illi

dicere: Tu in hac Religione tentationes vix vinces; media enim omnia pro tuo morbo vix sunt.

Hoc ut tantò meliùs intelligas, atque ipsis oculis usurpes, finge tibi aliquem candidatum, qui te arbitro & confessorio velit uti, seu Florbertum, seu alio eum nomine appelles. Hic ex te quærat & desideret scire, quænam sint commoda, quænam incommoda Ordinis Benedictini: Tu illi proferas, utique non sola commoda, sed etiam incommoda (si enim sola commoda, hæc verò esset supina partialitas & gravis deliberantis circumvestio) profers igitur illi etiam incommoda, sed tali modo, ut ea omnia plenè diluas, refellas, rationibus oppositis destruas, ostendâsque esse *falsas aut confictas, frigidas & ineptas, & denique ejusmodi, quæ ab omni ordine, vel à nullo possint prudenter absterrere.*

His auditis, juvenis quærat ulterius, quænam sint commoda & incommoda Ordinis v. g. Canonicorum Regularium, aut Cisterciensis; Hic tu, credo, non eris tam partialis, ut incommoda insoluta relinquant, sed dices pariter, esse *falsissima & conficta, aut frigida & inepta &c.* Hæc factò juvenis quærat porro de commodis Ordinum mendicantium, eorumque incommodis: Tu hic procul dubio incommoda sic propones, ut simul solvas, & dicas, esse *falsissima & conficta, aut frigida & inepta &c.* Spero enim, quòd tu philautiam illam, quam Soterio objecisti, ipse non exercebis, proinde objectiones aliis ordinibus oppositas æquè solves, atque objectiones oppositas Ordini tuo. Sed pergamus ultrò. Sciscitetur jam candidatus etiam commoda & incommoda Statûs Petri; Hic tu pariter non sustinebis relinquere incommoda insoluta, sed ea similiter solves, nempe sicut incommoda aliorum Ordinum, dicendo videlicet, ea esse aut *falsissima & conficta, aut frigida & inepta &c.* Tu enim homo famæ aliorum Statuum custodien-

diendæ ad cõd religiofus, nihil eloqueris, quo non falva in
omnibus fama maneat: & recte:

Hoc tamen quero, quid ex his omnibus tuus candida-
tus ad propositum fuæ deliberationis didicerit? Hoc & ni-
hil aliud, quod nempe in quolibet Statu fuit quædam in-
commoda, sed ea *conficta & falsiffima, aut frigida & ine-
pta, aut denique ejusmodi, quæ vel ab omni Ordine, vel à
nullo prudenter hominem possint absterere.* Jam verò
hoc intellecto & cognito, scitne jam candidatus tuus, uem-
statum debeat eligere? ubique sunt incommoda, sed ea fal-
siffima & conficta, aut frigida & inepta (quæ enim potior
ratio, ut incommoda contra tuum Ordinem objecta, sint
falsiffima, conficta, frigida, inepta, quàm objecta contra
alios Ordines?) quem igitur Ordinem ope tuarum confide-
rationum, ad cõd de solutionibus sollicitarum eliget? An Be-
nedictinum? an Cisterciensem? an Canonicum? an men-
dicantem? an Petrinum? non est major ratio pro uno,
quam pro altero; ubique incommoda aliqua, ubique re-
ipfa nulla, sed conficta, falsiffima &c. Quid igitur aget can-
didatus tuus? Statum Benedictinum eligat? cur non cano-
nicorum? cur non Petrinum? Quid obstat? incommodum
aliquod? sed hoc falsiffimum, frigidum, ineptum &c. Quid
igitur huic homini facias? Si aspiret ad unum Ordinem, cur
non ad alterum? ad tertium? Si fugiat unum, quid non al-
terum? quid non tertium? non aliud super est, quàm ut
possit ingredi quemcunque; perindeque erit, siue hunc, si-
ve alium ingrediatur, cum non sit ratio potior pro uno,
quam pro altero, adeoque homo erit quilibet pro quolibet
ordine idoneus, & ordo quilibet pro quolibet homine.
Quòd si autem hoc, cui bono erat deliberatio? Hæc reso-
lutio longè faciliori negotio fieri poterat sic: Ingredere
Statum, quemcunque vis; ubique aliqua incommoda, sed
quæ facillè superabis; sunt enim aut *conficta & falsiffima,
aut frigida & inepta, & talia, quæ vel ab omni, vel à
nullo*

nullo Ordine absterrere hominem possint. Næ tu compendiarius omnis deliberationis consummator planè per Syncopen, qui nodum gordium uno ictu diffindas. Miror, quòd Soterio hæc praxis non occurrerit; quam facile, quam levi manu curam ille salutis expedisset! Dolendum profectò, quòd hoc arcanum tam diu orbi debueris, virgulam planè Divinam deliberantium.

At fortè dices, non omnium cæterorum statuum tam facilem esse objectionum solvendarum modum, quem admodum tui: At at vide sis, ne in eandem foveam cum Soterio te præcipites, qui iudices objectiones tuo adversantes Ordini solvi, alijs solvi non posse; pariter ergo dicas, necesse est, solvi omnium eadem ratione; quo, ut vidisti, libertinismum juvenibus eligendi *quidlibet* pro sorte aut arbitrio concessisti. Ego profectò olim in scholis ita institutus haud fui, nec à quoquam hominum talem sum tropham edoctus: illud contra semper audivi, non quemlibet statum esse pro quolibet, proinde esse in nonnullis statibus incommoda talia, ob quæ, quantum etiam Candidatus enitatur quærere pure DEVM, tamen cum sibi prudenter ineundum non putet; atque adeò nec à confessario eorum speciem atram inalbari oportere. Effet hic locus ineptiam hominis sursum deorsum cavillandi, deridendi, explodendi, siquidem hoc propositum esset; Sed quid volumus morbidò intellectui afflictionem addere per verba?

3. Dico: *Confessarium, etsi velit, non tamen posse omnes objectiones ex toto solvere.*

Sic e. g. in hoc puncto, quo dicitur: *Si superior sit perpetuus, & antipathicus, est magna Crux.* Quomodo hunc nodum solvet? an dicendo, quòd nunquam fiet antipathicus? quomodo hoc potest polliceri? an dicendo, quòd talis crux suaviter feratur à bono Religioso?

Hoc

Hoc candidatus aliunde novit, difficultas tamen manet, an ipse sit futurus tam bonus, tam perfectus Religiosus, ut eam crucem suaviter sit laturus. Fortè dices, confessarij esse, ut candidatum ità muniat & firmet convenientibus motivis, ut eam crucem sit suaviter laturus? Sed etsi id faciat, quæ tandem illi dabit motiva, quorum sit tanta in futurum vis? Si Religiosi post multas considerationes motivorum innumerabilium, tamen sibi hanc crucem allevare non possunt, quomodo id confessarius modico spatio in Candidato efficiet? Si dicas, hoc non obstare debere, quò minùs Religionem talem intret: Atqui ego dico, hoc multos rationabiliter absterrere, qui fortè in se non sentiunt tantum animi robur, tantàmque constantiam, ut se suaviter sperent luros.

Atque si, ut tu dicis, propterea nullus deberet absterreri, ergo à nullo tandem ullius Religionis incommodo candidatus rationabiliter absterreretur, quantumcunquè difficili: Quod iterum nimis multum probat. Similiter si candidatus sit consuetudinarius, quomodo Confessarius plenè solvet illam objectionem de vincendis tentationibus in vita minùs austerà? semper enim manet verum periculum de futuro relapsu, etsi centies illi suggerat, suppeditura alia media, quibus vinci tentationes possint. Quæso, quid clarius, quid evidentius dici possit?

Duplici igitur ex causa nequit confessarius dare plenam objectionum omnium solutionem. j'd. propter naturam ipsorum incommodorum, quæ aliquando sunt prorsus innegabilia, uti e. g. quòd in Superioribus perpetuis sit majus periculum illius crucis, quod est ex despotismo & antipathia Superiorum, quam in superioribus non perpetuis: hoc vel cæcus videat. Item quòd in vita minùs austerà cæteris paribus sit majus periculum à tentationibus, quam in vita magis austerà. Austeritas enim secundum

omnes Ascetas est præclarum medium contra tentationes, minor austeritas est medium minùs efficax; juxta illud: Sicut se habet magis ad magis, ità minùs ad minùs. Hæc igitur confessarius, cum sint innegabilia, quomodo diluet? extenuare quippe non expedit, ut jam probavimus. 2. communiter etiã objectionum plena solutio dari nequit ob circumstantias personæ deliberantis, quas confessarius sæpe non plenè cognoscit, e. g. propensiones, naturales tentationes, habitus, ex quibus tamen omnibus petenda est objectionum istarum solutio, e. g. an sit laturus Superiorem asperum, an prævaliturus speretur contra tentationes; hæc enim & similia non aliunde, quàm ex propensionibus, habitibus, tentationibus, quibus impeti frequentius solet, alijsque circumstantijs colligi possunt. Hinc jam aliàs dixi, solutionem objectionum istarum fieri potiùs debere ab ipso candidato, ut qui longè optimè novit sua interiora, ut propensiones, habitus &c. proinde idem optimè formare sibi poterit dictamen, seu judicium, quo judicet, se in tali statu vitam piè, & cum solatio acturum nec ne. Ipse optimè cognoscit, quomodo animatus sit, qualémque fiduciam habeat ad incommoda hujus statûs citra intolerabilem molestiam, animæque periculum ferenda.

Denique si Soterius debuisset dare plenam solutionem, ut Mellitus vult, quanta fuisset moles libelli! Hunc ergo cum pusillum & lectu facilem voluerit facere, non poterat in eo omnes objectionum solutiones colligere: apparet hoc in te, qui de tua tantùm Religione tantam farraginem ad solvendas eas objectiones confarcinaveris.

4. Non est necessarium ad rectam de statu vite deliberationem, solvi objectiones eo modo, quo Mellitus vult.

Ratio, quia non esset alius necessitatis hujus titulus, quam ut candidatus ope talium solutionum se possit ad certum statum prudenter determinare. Sed hoc titulo non est necessarium, quia nullus candidatus supponitur esse tam immaturus, ut non possit facere hunc discursum, e. g. tot sunt alij Religiosi, quos quotidie video, qui possunt tolerare obedientiam, regimen & genium Superiorum, vincere tentationes &c. ergo potero cum gratia DEI & ego. Item quilibet deliberans, etiam non vir habet hoc dictamen, quod cum in tali Religione vel statu vivant tot viri laudati, atque talis status à multis æstimetur; habet, inquam, hoc dictamen; subesse aliquas harum objectionum solutiones, quas licet ipse exactè non cognoscat, speret tamen, se facile earum solutionem distinctam ex confessario auditurum.

Hoc ipso autem potest adolescens ità discurrens solvere omnes objectiones solutione saltem imperfectâ, quanta sibi necessaria est: Diluet enim illud, quod est de Superiore despotico, de intolerabilitate obedientiæ, de commoditate vitæ, aliæque omnia; atque ad eò hoc nihil obstabit, quo minùs possit se continuò determinare ad statum aliquem, determinatione saltem non ultimata (nam ultimam determinationem rectè præscribit Soterius sinè consilio confessarij fieri non oportere) igitur saltem ad determinationem illam non ultimam, non erit necessaria plena & perfecta objectionum solutio, sed sufficiet plana, simplex, & obvia, quæ non est petenda ex libris aut doctrina confessarij, sed cuilibet etiam puero primâ fronte occurrit. Enimverò si etiam experientiam quotidianam intueri velimus, apud pleròsque juvenum fit objectionum istarum tali, quod dixi, modo solutio. Et certè quid alioqui facerent tot juvenes, qui ingenitam à teneris propensionem secuti, citra ullius alicujus præcepta aut directionem, feliciter electionem non tantùm primam illam & imperfectam, sed etiam ultimam & decretoriam perficiunt? Caterùm non est dubium,

bium, quin ad securius procedendum, saltem ad postremam & ultimam determinationem, confessorii consilium influere debeat; adeoque rectè præcipitur candidato, uti mentem suam primam confessorio aperiat; objectionum, in quibus sibi fortè plenè satisfacere non potuit, solutionem à confessorio petat, qui eam ipsi pro munere facilè privatim daturus est. Dixi *privatim*; nam tales solutiones in scriptis utiquè Soterius dare non potuit, cum sint tot, quot sunt scrupuli juvenum, id est, innumeri.

Ad hæc solutio generalis fere omnium objectionum à juvene peti potest ex ipso libello Soterii, in quo, quid, quid alicubi objicitur, alio loco, quantum necesse est & fieri potest, dissolvitur, id, quod infra in particulari de ordinibus loco - fixis demonstrabimus. Item eorum, quæ obijciuntur *contra statum*, hanc solutio habetur ex iis, quæ afferuntur *pro statu* saltem implicite & à potiori? Ex ipsa item confessoriorum privata institutione solutiones magis particulares, seu ad hominem peti solent; ex piis, inquam, monitis, ac motivis, quæ passim juvenes ex ipsis, & ex aliis viris probis audiunt, ut planè non videam, cur Mellitus indiligentiam Soterii, aut defectum sufficientis adversum objectiones præmunitionis, aut periculum erroris alicujus, aut perplexitatis accusare possit.

5. Denique non est necessaria objectionum talium solutio ratione famæ talis status tuenda: Quàm parùm enim per objectiones hæreticas v. g. SS. Trinitas videtur esse contra lumen naturæ; videtur ebrietas, fornicatio, hæresis non esse peccatum; quàm parùm, inquam, per similes propositiones causatur hæresis, aut præjudicium aliquod fidei Catholicæ, quia nimirum non assertivè, sed tantum in loco objectionum ponuntur; pari planè ratione nulla procuratur infamia aut præjudicium famæ alienæ, quia non assertivè, sed ad instar objectionum & in parte problematis

nam
flue-
tem
ibus
con-
da-
scri-
quot

num
vid.
fic-
rdi-
ob-
quæ
ipfa
agit
am,
aliis
itus
sum
icu-

fo-
n e-
etur
rio,
imi-
ali-
tan-
nul-
quia
ble-
atie

matris proponuntur: atq; ita proponi est evidens, vel ex ipso titulo, *pro: contra:* Quod jam aliàs ad oculum demonstratum est; nec nova asseruntur, nec vetera confirmantur, sed tantum recitantur & relinquuntur suo loco. Et denique quis obsecro à confessorio jure exigat, ut ostendat, aut hoc, quòd nihil sinistri de aliquo Ordine dicatur? aut quòd omnia, quæ dicuntur, sint falsa? multum certè negotij confessorius haberet. Et verò nec potest, nec expedit. Aliunde jam ostendi, ad perficiendam bonam deliberationem, hoc non esse necessarium, cum contra omnia similia candidatus vel ipso naturali discursu sit sufficienter præmunitus, quod non contingit in objectionibus contra fidem, alijsq; scholasticis, quæ idcirco non problematicè proponi solent, sed additis solutionibus.

Dices juvenem hac ratione posse absterri ab aliquo statu. Rsp. Juvenem non magis absterri per objectiones, quam invitetur per rationes allicientes. Sicut ergo libertati deliberantis non officiunt rationes allicientes, ita nec rationes absterrentes, cum alterutrarum vis per oppositas infirmetur, & sic conservetur perfectum æquilibrium in animo deliberantis ad statuendum id, quod sibi magis convenire videbitur. Similiter si quid famæ per unam partem demitur, tantundem per oppositam additur.


Cæterum ex his intelliges disparitatem, quæ danda est ei, qui quærat, cur non in his quoque considerationibus, seu objectionibus æquè apponantur expressæ disertæque solutiones, atque apud D. Thomam aliòsque scholasticos ad factas ab ipsis objectiones, discas, inquam, diversam esse utriusque instituti rationem: Nam Præceptor in Scholis tuetur ut plurimum unam quæstionis partem. Confessorius neutram determinatè tuetur, non ingressum magis, quam fugam Religionis; Præceptor scholasticus non proponit rationes suas indifferenter; Confessorius ut pluri-

mum proponit tantum indifferentem; ille thesim, hic problema. Praceptor intendit suadere unam partem, Confessarius non unam suadet magis, quam alteram. Praceptor id agit, ut tollat in discipulo dubium & scrupulum de opposito. Confessarius tantum abest, ut dubium velit tollere, ut etiam velit dubium movere, proponendo clienti suo rationes dubitandi, idque agit, ne cito, aut temere cliens ulli parti adhaereat. Bene hoc nota: Confessarius tantum proponit rationes pro & contra, quas alias *rationes dubitandi* vocamus, nihilque ipse per se statuit aut determinat, sed relinquit determinationem candidato, a cuius voluntate ea pendet, contra quam Doctor in scholis, qui non tantum contentus est rationes dubitandi pro & contra proponere, sed etiam aliquid statuit, decernitque, quid aut ipse iudicet, aut ab discipulo retinendum putet. Denique instituentis interest, discipulum onere disquisitionis levare; cum contra Confessarius id potius spectet, materiam onusque considerandi clienti imponere, ejusque sententiam explorare. Quod si confessarius objectiones aliquas per se solvat, id faciet exsuperabundanti, & nequaquam ex munere Confessarii, nisi id fiat cum, quando deliberans jam est determinatus ad statum certum, aut certe inclinatus: Tum enim verò, si opus sit, etiam hoc in puncto juvandus est. Cæterum prima propositio, seu delineatio materiae considerandae est communiter problematica atque indifferens, ejus generis, uti est Referendarij, rationes pro & contra simpliciter referentis. Vide, quæso, quò me tuæ ineptiæ, mi Mellite, deducant, ut rem sanè futilem ad modum difficultatum gravium tractare oporteat, quo tardidati tuæ tantillum fiat remedium. Verum detur hoc, seu tibi, seu ijs, quos ad tuos strepitus advertisti. Intellige aliquando, & saps.

Hoc ad extremum sub manibus argumentum nascitur, si incommoda, ut tu vis, solutionibus diluenda sint, cur non & comoda? Si solvenda sint rationes pugnantes contra
sta.

statum, igitur & solvi debebunt rationes, quæ sunt pro statu: Secus enim Confessarius noxæ partialitatis haud erit immunis. Interest enim ejus, tueri partem neutram, atque nihil in hanc magis, quam in illam partem propendere, proinde si rationes hujus partis refellat, quid non & rationes partis alterius? Hæc tu tamen nequaquam æquo animo feres, ut qui Ordinem Benedictinum ad eò velis esse deliberanti persuasum, ut rationes oppositas planè falsas, atque confictas, frigiditas, aut ineptas, aut denique nullius esse momenti demonstratas velis. Tamen istiusmodi solutiones nec pro Ordine Jesuitico adducuntur: Sunt enim solutiones planè simplices ac vulgares e. g. contra objectionem *de porta dimissionis aperta*, solutio est: *nemo ob virtutem dimittitur*. Contra objectionem *de porta Honorum clausa*, solutio est: *Si honores vellet, se in seculo mansurum*: Et sic in reliquis, quæ solutiones profectò tales haud sunt, ut omnem oppositi difficultatem diluant, nec possunt diluere, cum semper maneat asperum illud, quod à quibusdam in periculo e. g. dimissionis concipitur. Neque tu, credo, tantum ijs inesse philtum putabis, ut quicumque eas legerit, velut ictus thyrsi ex Societatis numeris saltare necessariò debeat. Sunt ergo solutiones imperfectæ, quas, quid, quæso, tam acerbè invides? Tales sunt, per quas nihil admodum speciale author Societati suæ præ alijs Ordinibus præstitit; cum solutiones vulgares etiam in alijs cuilibet facilè occurrant. Quòd autem in Societatis tantum causa eas exertè posuerit, id non tam erat ex officio directoris, quam ex alijs prudentibus causis, quas & dedimus alibi, & dabimus. Secutus ipse in alijs id, quod est de praxi & parentum & aliorum plerumque Confessariorum, deliberantibus multa indifferenter proponentium, nullâ solutione subjectâ, sed expectatâ potiùs ex deliberante. Quam tu praxim si in alijs non accusas, quid in Soterio reprehendis?

CA-



CAPVT XI.

Mellitus umbris agitatus à Soterio delinitur.

JAm audio clamores, jam ejulatus miserabiles. Melliti vox est: Cœlum, terram, inferos miserandum in modum ciet, invocat; Heu me! monstrum horrendum, ingens, & quale nec palus Lernæa, nec tristis ripa Cocytii protulerit, sibi jam jam imminere clamat, vociferatur. Adeste, inquit, adeste, quotquot seu veteres estis Sodales, seu quiqui demum hominum è numero, quos omnes hic Cerberus ore impedit trifauci, Periculum generis agitur humani: Draco surrexit sibilo in omnes virulento, rictu immenso, dentibus in omnia sacra exercitis: Jamque hæc, jamque illac in beatissimas animarum sedes itrumpit; perfringit Cassinatæ Elysij claustra, erenum Augustini, Cistercij vallem; quin eodem furore agit in præcepta omnia profano non adeunda Cœnobitarum, Petrinorum & quæquæ sunt sanctorum hominum sacraria; famiam commordet, afflat odore tetro, enecat, perimit, conspurcat, quidquid illic sanum, egregium, pulchrum.

Hæc cum atrocibus diris inclamari audirem, accessi propius (aberam enim curis Apollineis districtus) quin & suppetias, si referret, laturus: Horror erat audire vociferantem: magnum profectio malum, ac planè monstrum
exi-

exitiabile mente conceperam; quod ad eò exerrere, percel-
leréque virum posset. Et videram sanè spectrum ominus
advertans tristi ac terrifico vultu, liventibus, atque in iram
asperatis oculis. Circa frontem examen muscarum præ-
grandium, quæ ex capite, velut ex apiario erumpentes in
caperatæ frontis area hic, atquè illic gregatim assidebant:
tum circa os oculosque assiduo fremebant bombo, viru-
lentæ omnes, atque si fodicare audeas, nulli parsuræ. Con-
sternatus animi deliquio Mellitus diu multumque agitaverat,
ut fugæ copiam, exitumque, aut si Dij bene vertant, etiam
victoriam nancisceretur. At jam præmissi velites Phantasi-
viam fugiendi interceperant: cinctus undique ac planè
obseptus, stipatusque in arcto erat; Hinc atque illinc cor-
nua, queis, quo se cunquè verteret, excipiebatur: Quid
ageret? intentissimo guttore clamor, vociferatio terras
omnes permiscens erupit; unum in articulo præsidium
vox & clamor. Ergo jam aures mihi, qui propius assite-
ram, scindebantur. Fato hominis miselli attonitus pauli-
sper, mox autem animo collecto eò pendebam, ut, quæ
tandem esset ad eò funesta Lemur coram resciscerem. Nescio
enim, quo indice ludibrium suspicabar oculorum. Et
apparuerat intentius spectanti species umbratilis, atque alie-
no artificio in eam faciem efferata larva. Accedo, aggredi-
or, & ecce! discussâ veluti nebulâ facies erat hominis mini-
mè monstrosa, quin admodum veneranda & spectabilis, in-
tento animi & vigiliarum labore in maciem lurorémque
venerabilem defluens. Ignoraverim virum mihi de facie a-
lias cognitum: Magnum tamen & sanctum ipsa species osten-
debat. Tum ego Melliti consternationem admiratus, heus!
inquam, quæ isthæc tanti causa pavoris? quam tibi, quæ so,
fingebas umbram? quas larvas stupore extimescebas in-
utili? seu vitium id erat oculorum tuorum, seu quæ furia
speciem atram objecerant; certè age, intueri coram,
atque deterfis hominem oculis intueri: ipsius est, quem,
ut aliàs edoctus sum, tumetipse inprimis agnôsti; Accede,
inquam, & vide. Vc.

Verùm Mellitus ore averso torvum intuens usque sibi
specrum videre videbatur: adeò glaucoma oculis obre-
pserat: illud identidem ejulatu, fremituque incredibili
ingeminans, hoc esse monstrum, quo speciem sanctissimi sui
Ordinis turpiter, hædèque conspurcatam sciret: tum inser-
tâ in peram manu codicem extrahebat minutum, nonnul-
lâque bile in ore & oculis affatim exuberante, prælegebat.
Hæc, inquit, venena teterrimâ hujus monstri, hæc pestis
multorum exitio adolescentum parata. Et aderant phan-
thasi muscæque, quæ cerebrum, consiliûmque omne obtur-
baverant: Fumus præterea densus ambibat oculos, vix ul-
lo ad verum prospectu. Tum quid egerim, quid dede-
rim operæ, ut hominem sibi redderem. incredibile dictu
est: lumen accenderam, argumentis, rationibus, exemplis
agebam; frustra erat. Sententias ille identidem de libel-
lo recitatas clamosissimo promebat jurgio: hæc, inquebat,
intolerandæ calumniæ, hæc prostitutiones piissimorum
Ordinum, hæc scandala, mendacia, & quæ non? Hoc agebat
se satis mirari non posse, quâ homo Societatis hæc talia sit
ausus asserere, quin & scriptis committere, pueris propo-
nere; rem enim verò indignam, impudentem, injuriosam,
nullique sano tolerandam. Sæculum jam inclinare alte-
rum, ex quo Societas Jesu his esset illata terris: nunquam
ex ea tam propudiosum emeris libelli monstrum, cujus-
cemodi sit iste; Ingratos proinde, qui vel ediderint, vel
edi permiserint; incurios, qui non suppresserint; auda-
ces, qui non timuerint, Religiosorum cæcus omnes incessere,
prostitueret, puerorum sannis objicere, vah!

Hæc cum Mellitus acerbè quereretur, videbam identi-
dem invalescentes circà caput muscas, eripi amplius ocu-
lorum aciem, caliginem addensari; nequè mihi erat in
promptu homini fors haud inania quiritanti mentem ali-
am indere. Asserta illa reposebam, quæ tandem essent hæc

da illa, tetraque talibus umbris opplentia cerebrum specta-
stra: Negotium erat periculo non carens, si qua fortè sub-
esset calumniæ species, hanc animo penitus imbuto velle
abstergere. Hoc ad extremum succurrit, ut ipsum, qui mon-
strorum talium author habebatur, oculis admoverem pro-
pius, juberemque fieri verborum Interpretem suorum.
Heus! ajebam, tu, quis quis es, magnum certè, atque egre-
gium quid fronte præferens: Ades dum; tuoque, quod
sanctum habeo, ore controversiam dirimo, umbras abige:
Hæcne tua, de quibus adeò reprehenderis, asserta? tua
hæc sententia?

Atque ille graviter subridens, cujusnam, ait, hæc tam
fuitiles, umbraticæque umbræ? Ne per somnium quidem
talìa subvenit asserere: Nihil hic dolo malo actum; nihil
studio detrahendi, apage! calumniandi. Hoc qui sentiat,
aut æger sit animo, aut profundè cæcus, necesse est. Non
aliud mihi consilium, quam objectiones problematicè
proponere. Hæc cum exequi inter obtestandum vellet,
tum ego, ne quid scrupuli remaneret de summa, de singulis
eum partibus percontandum ducebam; atque inà orsus:
Virorum decus, ajo, deferres umbris hujus miselli, ut de om-
nibus, quæ hic objectionum instar problematicè protuli-
sti, sensum exprimas tuum: Simul intuens Mellitum, nec-
dum umbris suis, ut ajebam, explicatum, tumet, ajebam,
ipse mentem in consilium adhibe, & auditioni potiùs, rati-
onique, quàm umbris aures accommoda: tumet ipse seiscr-
tare, tu statu, quid è viro, ut apparet, in fonti exsculpendum
putes. Atque ille ore fremebundo considerati, des, inquit,
contra Ordinem S. Benedicti pugnantes aut confictæ & fal-
sissimæ, aut frigidæ & ineptæ, aut deniquè ejusmodi sunt,
quæ vel ab omni, etiam Jesuitarum Ordine, vel à nullo pru-
denter possint hominam absterrere: Quid ad hoc? Tum
vir modestissimus, pollice Melliti presso, quid erat, inquit, ut
de

de mente dubitasses mea? Deum, hominesque, & quid quid est sanctum, obtestor, nihil esse in considerationibus à me propositis assertivè dictum. Considerationes sunt, non assertiones: ais esse falsas, ego & falsissimas: tu frigiditas & ineptas, ego, si cupias, etiam frigidissimas, ineptissimas dixerò: Satin' hoc? An & hoc petis, uti puncta declarè singula? Nihil moror: tu præverba:

Mellitus. Imperium despoticum in Ordine S. Benedicti nullum habet locum:

Soterius. Credo lubens, do, concedo, nihil controverto. Sunt tamen, quibus hoc videatur.

Mellitus. Imprudentissimum & stolidissimum, ideo ab aliquo Ordine refugere, quòd illius Superiores possint fieri despotici.

Soterius. Nequè hoc admodum refragari est animus; Tu mentem mei, tuique similem omnibus injice.

Mellitus. In Ordine S. Benedicti talis non est perpetuitas, quæ tedium & nauseam generet ex Socijs.

Soterius. Nihil moror; vivite felices, beatique Angelorum instar, canentes perpetuum euge! euge! hoc enim ipsa sanctissimi instituti ratio, & finis; hoc legum viventique modus secumfert. paradus est religio, non omnibus tamen.

Mellitus. Perpetuitas loci per se prudenter odiosa esse nequit; quin perseverantia & commoratio longior Bene icinorum in eodem Monasterio tam gravis non est, ut quidam sibi imaginantur, sed spiritui nutriendo valdè commoda.

Soterius. Habeo fidem, nequaquam contradico: Ab omnibus sic æstimari exopto. Stabilitatem, ut communi more accipitur, itidem accipio. Quidam tamen aliter imaginantur.

Mel-

Mellitus. Chorus in Ordine S. Benedicti per se fastidium non creat, sed magis animum curis & laboribus festum recreat.

Soterius. Quid aliud Angelos recreat, quàm melodia celestis? pabulum hoc animarum dulcissimum. Absit aliud sentire mihi, an & alijs?

Mellitus. Hodierna Benedictinorum vita est valdè aspera, & carni perquam incommoda.

Soterius. Nullus mehercule dubito: crucifixi mundo homines ejusque Patriarchæ, qui in spinis seque suumque institutum posuit, filij quid aliud agerent? Hæc tamen quidam sibi minimè persuadent.

Mellitus. Patres Societatis pueritiæ & juventuti bonas literas tradunt? tradunt & Benedictini.

Soterius. Laudo negotium aded operosum ætati teneræ impensum. Credo maximo id fructu administrari: institutum tamen aliter habere quidam putant.

Mellitus. Jesuitæ Christiana Catechesi pueros & rudem populum formant? formant etiam Benedictini.

Soterius. Ne in mentem venit dubitare. Disparitatem tamen minùs periti causantur.

Mellitus. Jesuitæ conciones ad populum habent? Habent & Benedictini.

Soterius. Quàm speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona! Este porro, ut fuistis, tubæ Evangelicæ, Divinique verbi, quod Majores gloriosissimi fuerunt, interpretes. Nihil obmoveo.

Mellitus. Jesuitæ varias disciplinas in Academijs profitentur & docent? Profitentur, docentque etiam Benedictini.

Soterius. Et magnâ quidem gloriâ, nobili fructu: Quis tamen hominum imperet judiciis?

Mellitus. Jesuitæ hæreses & dogmata minùs sanam doctrinam resolentia oppugnant? oppugnant & Benedictini minore tumultu, & feliciore fortè successu.

Soterius. Utinam ampliùs ampliùsque hæc res è voto succedat! absit obstrepere. Cæterùm de Jesuitis quid efficiant, oculatus quidem testis es, testes alij, quorum non una sententia.

Mellitus. Jesuitæ missiones pro dilatanda fide catholica suscipiunt: Suscipiunt & Benedictini.

Soterius. Ite Angeli veloces, proferte Evangelium, & spolia animorum caelestibus atrijs inferte. Socios, credo, non postremos è Jesuitis habebitis, qui speciali id ipsum Sacramenti vinculo profitentur.

Mellitus. Jesuitæ libros conscribunt? conscribunt & Benedictini.

Soterius. Quî id negem, si vel anecdotis tuis obrui & lapidari nolim.

Mellitus. Falsissimum est, vitam Benedictinorum esse commodiorem, quàm ut sufficiat ad impediendas & vincendas tentationes.


Soterius. Quis prudentiùm dubitaverit? Quis tam monrosam de tam Sacrosancto instituto promere ausè assertionem? Affluunt (quis neget) exquisita eum in finem subsidia queis Angelos in carne necesse sit esse: Quod exemplis, si vacaret, copiôsius, quàm à te factum sit, approbari posset: aliud è men quibusdam videri dicacibus posset, specièmque externam intuentibus.


Mel'

Mellitus. Studiorum & talentorum magnus in Benedic-
nis usu, æstimanturque hæc in Cœnobijs, proinde
neutiquam, uti quidam existimant, vita otiosa.

Soterius. Nihil est, quod tergiverfer: plenissimè assen-
tior; Secus tamen quidam existimant.

Hæc dicentem Innocentia candidissimo obnuptum ve-
lo, quod ei Mellitus devellere totis unguibus contendebat,
repentè virum non tali jurgio dignum de medio eripuit,
cælique biparentibus retulit portis; Simul eminus audita
vox dulcissima, qui caneret: *In memoria æterna erit
justus: ab auditione mala non timebit.* Vivat vir di-
lectus DEO & hominibus, cujus memoria in benedictione!
Ingrati clientes, quibus hoc deniquè ex tantarum virtutum
specie relictum, ut venerandos cineres allatretis. Ne hoc
mihi! qui eam planè partem ceu postremis tabulis esse
mihi legatam arbitror, innocentem adversus ca-
lumnias, quoad possem
tueri.





CAPUT XII.

Querimonia & facta, & quæ fieri possunt, plenissimè dissolvuntur, atque ea, quæ hucusque diximus, inculcantur.

NOta hæc duo, Mellite, propositiones illas, si assertivæ sint, esse fortè censurâ illâ dignas, quam tulisti; Secus tamen considerationes Soterij de illis ipsis propositionibus: aliud est propositiones considerare aliud asserere: Potest esse noxa & monstrum illas asserere, quin noxa & monstrum sit, illas purè considerandas proponere. Proponit ea Soterius ceu considerandas, secus credendas. Quod ut tibi apertius dilucidem, opus ut video, rursus esset, facere paraphrasim: nisi vereretur submolestum Lectori fore, eandem crambem audire: brevissimè tamen: Sensus Soterij non est alius, quàm iste: Consideranda esse, quæ nonnullis occurrunt, aut occurrere possunt circà ordinem v. g. D. Benedicti, exempli gratiâ: vitam esse commodiorem &c. in quo implicite hoc ipsum dicitur, seu supponitur, quod hoc vel illud, vel aliquid aliud nonnemini occurrat, aut occurrere possit: præscindendo, an sit verum, an falsum, frigidum, an calidum, ap.

aptum, vel ineptum: modò occurrat, vel moraliter in ali-
quo casu occurrere possit. Licet enim fallum sit, aut fri-
gidum, dignum tamen potest esse, ut à deliberante consi-
deretur variis ex causis, quas jam alibi attulimus. Sed di-
ces: quomodo potest alicui occurrere, vitam alicujus Or-
dinis Religiosi esse commodiorem, quàm ut sufficiat ad
vincendas tentationes? esse vitam otiosam? &c.

Rsp. eo modo, quo etiam circà fidem Catholicam non-
nunquam multa absurda, falsissima, ineptissima occurrunt:
v. g. *SSS. Trinitatem esse contra lumen naturæ; Præsen-
tiam Christi in Eucharistia videri chimericam, resurrectio-
nem mortuorum videri incredibilem, & alia sexcenta,*
quæ apud Divum Thomam inter objectiones reperies:
pariformiter etiam circà Status Religiosos (idem est de ali-
is) occurrunt hominibus etiam prudentibus, nedum im-
prudentibus, nedum juvenibus, nedum malevolis, varia
absurda, aut saltem occurrere possunt, præsertim si appare-
at species aliqua externa, ad id cogitandum movens, e. g.
in ordinibus quibusdam vident minorem in externis rigo-
rem, non vestem grossam, non diuturna jejunia, non ex-
sanguia corpora, non squalorem cultûs externi; quid mi-
rum sit, nonnemini cuiquam incidere, ut sentiat, aut dicat;
vitam talem esse nimium commodam? non sufficere ad
tentationes vincendas? Quantum enim vident eam carere
externis austeritatibus, tantum suspicantur esse destitutam
remediis ad tentationes vincendas, aut certè non æquè esse
hoc in puncto provisam, quantum alias Religiones austeri-
ores. Quæ res, puto, per seipsam, & experientiâ quodidia-
nâ manifesta est: Nequè ulla videtur in mundo inveniri
posse hominum conditio tam sancta, de qua non aliqua se-
quiùs cogitari, aut dici, verò, an falò possint; ex quibus
tamen commoveri deliberantis animus, percellique po-
test.

Dices ultrò: Quid est opus falsa talia, aut fictitia proponere? Rsp. multum, & per omnem modum: Quæ enim falsa sunt, aut apparentia, saepe plus movent, quam vera, ut alibi ex Aristotele me dicere memini.

Sed urges: Ergo idè proponuntur, ut moveant: Ergo idè ut à Religione absterreant. Rsp. N. illatum: non proponuntur, ut moveant, sed ut considerentur, an moveant, cur moveant, atque si moveant, ut considerentur, quo pacto iis obviari possit, quémque animum in se experiatur deliberans, ad earum aspectum & contemplationem, fortem, an abjectum, stabilem, an hæsitantem. Ex quo tantum abest eas proponi sine absterrendi à Religione, ut potius faciant ad animum, consideratis & contemptis ejusmodi objectionibus, Religioni præparandum, reddendumque expeditiorem.

Sed rursus instas: Juvenem, qui similia legit, necessario absterrendum à capessenda Religione. Rsp. Si hæc sola legat, non abnuo, hoc fieri posse: Secus si utramque partem consideret. Nequè certè ex considerationibus Soterii ille terror adeò multis incussus hætenus est; cum potius experiëntiâ notum sit, plurimos ex his considerationibus animum ad Religionem appulisse, fructumque hoc in genere extitisse incredibilem. Deinde quis est liber, in cuius aliqua propositione, si quis in eam solam incidat, scandalum pati non possit? Ipsa sacra scriptura talibus propositionibus non caret. Cæterum considerationes illæ cum sint problematicæ, proinde non tantum contra, sed etiam pro Religione perorent, non tam sunt natæ, ut absterreant, quam ut illuminent, disponantque juvenem ad electionem rite faciendam. Deinde si hæc obiectio aliquid probaret, sequeretur, nullam esse deliberationem; deberent enim, ut vulgè obijciens, tantum proponi considerationes pro Religione,

gione, seu quæ ad illam incitent, non autem rationes contra, seu quæ ab illa absterreant: quæ nulla esset deliberatio, sed cæca animi ad unam partem determinatio Trans-
eat igitur, quod considerationes illæ, quas impetit Apologus possint juvenem à Religione absterre: Quid inde? rectè hoc; tales enim debent proponi, quæ possint absterre: hoc enim natura deliberationis exigit: Non tamen ideò proponuntur, ut absterreant, sed ut consideratio earum juvet ad electionem prudenter statuendam; atque ut animus, modò ad ea se comparans, alio fortè tempore, quò remedium non dabitur, ab iisdem non exterreatur.

Dices ultro: Tales considerationes esse scandalosas, & cum infamatione Religionum conjunctas. Rsp Si se solis, & absque suis circumstantiis sumantur, quid mirum? sic si vir honoratus *asserat* de Religione aliqua, eam esse commodiorem quàm ut ad superandas tentationes sufficiat, esse vitam otiosam; fieri omninò potest, ut scandalum aut infamia proveniat: Caterùm si vir honoratus talia non asserat, sed in consideratione problematica tanquam nœnias vulgi, aut malevolorum aut imperitorum, aut talia, quæ quomodocunque incidere possunt, expendenda proponat; præterea si asserat simul, ut ratio problematis exigit, rationes in oppositum, quibus talia absurda vel formaliter, vel æquivalenter refutentur, & ex quibus palpare potest deliberans, hæc non assertivè, sed in gratiam tantùm deliberationis relativè proponi; sic inquam, propositæ considerationes quid scandali aut infamationis habeant, omninò non video; Præluce enim juveni identidem hæc cogitatio Confessarius meus hæc mihi proponit, non ut ego ista credam; dixerat enim mihi nuper planè oppositum, sed tantùm ut considerem, & experiar, an propter talia, seu vera seu falsa, Religio mihi omittenda sit, nec ne? posset enim

esse, ut mihi futuro tempore talia eggererentur, aut inciderent; quæ satius est hic & nunc præmeditari.

Atque sanè, si, ut vult Apologites, considerationes illæ sint falsissimæ, si frigidæ & ineptæ, si pari forma contra Societatem pugnent, hoc ipso aptæ non sunt ad scandalum ullum aut infamationem procreandam. Quis enim scandalum patitur ex re, quam cernit esse falsissimam, frigidam, ineptam &c? Quis ex talibus infamationem incurrat? Intuere proximi timoratorum hominum & ipsorum confessoriorum, qui talia de industria deliberantibus objiciunt: an ne tu eos continuò accusabis peccati lethalis, aut patrata infamationis? vah! quàm multos ageres reos! nimis multas umbras tibi fingis, mi Mellite.

Sed dices: Saltem apud juvenes scandalum generare talia queunt. Rsp. Si sit ullum morale periculum, ut ea omninò credant, aut si tanquam nova iis ingerantur, & confessorii asserentis autoritate confirmantur, locum fors haberet querela, secus in præsentem, ubi horum nihil omninò; sciunt enim, quòd iterum repeto, sciunt juvenes, hæc sibi non proponi ut credenda, sciunt has tantum esse objectiones, quæ fieri contra talem statum possunt: Sciunt & palpant has objectiones non esse insolubiles, eo quòd videant alios prudentes talem statum amplecti & tenere, & ipsum confessorium videant paratum ipsos, si vocationem sentiant, ad talem statum promoveri; cum ipsis alia multa dixerit, quæ talem statum maximopere commendant: Denique occurrit etiam simplicissimo juveni hæc cogitatio: si alii possunt sanctè vivere in tali Religione, & sanctè vixerunt, poterò & ego sanctè vivere, proinde & vincere tentationes, & fugere otiositatem &c.

Quòd

Quòd autem multi sanctè vivant, & sanctè vixerint, didici aliunde & nuperrimè ex confessorio, qui mihi primo statim puncto proposuit antiquitatem, sanctitatem, celebritatem Ordinis, qui tot Sanctos, tot Pontifices, Cardinales numeret, hæc, inquam, cuilibet etiam infanti prima fronte occurrunt, ut proinde periculum nullum sit talia omnino credendi. Cæterùm scandalum tale capere posset imperitus aliquis etiam ex objectionibus S. Thomæ lectis, v. g. videtur DEUM non esse unum & trinum; posset itidem ex objectionibus, quas viri probi quotidie deliberantibus faciunt.

Sed urges: ut quid ergo ipsi talia de lana caprina proponuntur? Rsp. Proponi ideò, ut aliquomodo cognoscat naturam Ordinis ea ex parte, in qua sibi fortè minùs conveniens esse posset: v. g. dum jubetur considerare hoc, an non fortè vita talis commodior ipsi videatur, quàm ut ad impediendas aut vincendas tentationes sufficiat: proponitur ipsi natura Ordinis quoad modum externum vivendi minùs austerà & incommoda, quàm Ordinum aliorum: quæ fortè nonnunquam causa posset esse, ut talis ordo tali juveni minùs sit conveniens. Posset enim juvenis esse infectus pravis consuetudinibus, aut experiri in corpore suo vehementem ardorem libidinis, quod si commodius nutriretur, esset morale periculum consentiendi tentationibus occurrentibus, quale non esset in Religione macerationi corporis plus tribuente, quæ res puto tam plana est, ut nihil planius; nisi fortè quis existimet, austeritatem exquisitam corporis nullam habere hoc in genere vim & efficaciam præ vita minùs austerà; quod esset offendere in sensum omnium ascetarum & Sanctorum,

Similiter quando juveni considerandum proponitur: *Vita præter chorum & missam otiosa*, non hoc dicitur, quòd homines ibi otiosè vivant (quod etsi diceretur, non tamen asseritur, sed tantùm ut vulgaris nœnia consideranda proponitur) sed insinuatur deliberanti aliquo pacto natura Ordinis, ex qua fortè occasio sumpta est hoc de quibusdam Ordinibus jactandi: Proponitur, inquam, consideranda natura Ordinis non tam multas ex instituto saltem in publicum prodeuntes continens occupationes. Tantùm enim illas occupationes æstimant, quas sensibus percipiunt: Sic audiunt cantantes in choro, vident ad aram operantes, contra verò non vident ipsos universaliter, aut à potiori esse addictos aut effusos in occupationes externas docendi, concionandi, conversandi, sacramenta administrandi, missiones exercendi, & similes; hinc vetus & familiare convitium, vitam quorundam tanquam otiosam & publicis utilitatibus minùs accommodam traducentium: quod qui audire nolit, aures obstruat, necesse est. Cæterùm ex hac consideratione tantum abest, ut juveni scandalum aliquod ingeneretur, quin potiùs plurimum inde in deliberatione facienda juvetur. Explorat enim, an talis vita externis ejusmodi occupationibus ex instituto minùs addicta, sibi suisque consilijs consentanea sit, an contra sibi vitam ex professione sua & instituto in externis plurimum occupatam, convenientem existimet; quæ res fanè ad momentum deliberationis non mediocriter pertinet. Non ignorat porro deliberans, quin in omni statu Religioso suppetere cuilibet possint occupationes privatæ atque domesticæ, queis otiositatem omnem, si velit, ad satietatem usque profliget.

Inſtas: ut quid non clarioribus & mitioribus termi-
nis iſta proponuntur; ſed talibus potiùs, qui malè & peſſi-
mè ſonant? Vide, quàm nil reformidem omnium tuarum
querimoniarum, quin potiùs multa, quæ tibi tam perſpicue
non ſubvenerant, ultro in tuæ querelæ ſubſidium accerſo.
Res itaque nunc agitur de terminorum maleſonantia, qui
aſperiores ſquendam corticem vultumque habere viden-
tur. Convenis jam, opinor, mecum de rei ſubſtantia, nul-
lum videlicet verborum iſtorum apud Religioſiſſimum Vi-
rum ſubſuiſſe ſiniſtrum, contumelioſum, nefarium, atro-
cem ſenſum: Omnia innocenter integerrimæque mente
prolata; culpam omnem fuiſſe in delectu verborum, deni-
que in modo proferendi. Eja bellè habet: partem habeo
principem, caputque victoriæ. Tandem Serenitas aliqua,
niſi aciem ſponte & per affectationem ipſe tibi met
obtundas, diluceſcit.



CA-



CAPUT XIII.

Amica expostulatio cum Mellito, quòd ob rem futilem suis umbris adeò sit obsecutus.

JAm ad causæ profligatæ reliquias accedamus. Quod antequàm faciam, amicè te compello, Mellite: si nulla sit alia culpa, quàm in ingrato quodam sono verborum, quid erat opus, ut mel tuum virorum mansuetissime desereres? Cælum & inferos, & quidquid est dirarum, in verba innocentissimè prolata tanto strepitu devocares? Erátne, quæso, operæ pretium, ut tantos montes exaggerationum, calumnjarum, pravarum interpretationum extrueres? Erátne operæ, ut humanitati mansuetudinique religiosæ vim faceres? Ut adeò longè discederes à placito Melliflui tui cognominis, quem nôsti, quid in ferendis in proximum censuris præcipiat: excusa intentionem, si opus non potes: puta subreptionem, puta casum. Erátne operæ, ut tantis lamentationibus impleres omnia? Suppetias ab aliis quoquè tum Religiosis, tum Ecclesiasticis viris adversùm Jesuitas peteres? pro levi scintilla, quæ ante oculos tuos micuit, incendium redderes? denique erátne operæ, ut tantum chartarum de lana caprina oblinerer,

tem.

tempusque pretiosum, quo tomos fortè aliquot anecdoto-
rum edere potuisses, amitteres? quid spectabas? quò ten-
debas? quid quærebas? ultionem? at læsus non es: Inju-
ria, si nescis, dolum malum requirit, qui isthic, ut tute ipse
vidisti, nullus omnino est, atque in æternum non ostende-
tur. Si injuriam apparentem, & ut dicitur, *materialem*, ul-
ciscendam putabas, quid adedò exarsisti, ut limites omnes re-
cti judicii excederes? Judicium, judicium in judicio tuo
Judex acerbissime desidero. Culicem ferendum putabas,
& securum, imò sudem nodosam arripuisti? Quid cogitasti,
virorum post natos homines suavissime? arbitrari tu po-
teras, consilium tuum Viris prudentibus ac moderatis pro-
bandum? toto sanè cælo aberrasti: qui si audires, quid sen-
tiant (& audieris forsitan) profectò intelligeres, per multum
tibi de existimatione viri moderati detractum: Intelli-
geras rursus alios, qui dicerent, se fumum in te non
modicum notasse, qui videaris velle in mundo proficisci
Jesuitis notescere, nec iras hominum in nonnulla luce
positorum laceffere timuisse. Habe tibi pace mea hunc
qualemcunque apud imprudentes plausum: apud pruden-
tes certè non habebis, nequè apud tuos, quos ceriè scio
plurimos tibi vehementer succensuisse, nequè apud ipsum
te, quem prudentibus accenseo, si paulisper animo refri-
xeris, arbitror habiturum. Eum enim te profiteris, qui *in*
omnibus quæras Deum; in quo Sancto, & Religiosi homi-
nis planè propria proposito, si animus verbis consentiat,
multa profectò videbis, quæ iratus non videras. Videbis
alium longè esse stylum Mabillonii, aliorumque Sancto-
rum, doctorumque hominum, qui non reputabant, se
quærere Deum, nisi quærerent caritatem: DEUS enim
caritas est. Non tum se DEUM quærere putabant,
cùm gloriam, fumum, invidiam in alios redundantem
quærerent. Scio quàm torvo vultu singulos meæ scri-
ptionis apices legas. Ne, quæso, irascere: Scripti sunt
calamo columbino lædere & lædi nescio. Nec æquum est,

ut

ut hæc innoxia agrè feras. reputans illud quod qui loquitur, quæ vult, sæpe audit, quæ non vult.

Scio, quid dicas: nimirum hic agi de fama Religionis, quam cuiuslibet boni Religiosi interfit omni ope tueri. Laudo Zelum: Sed requiro modum. Sanctum omnino, famam suæ Religionis adversum calumniatores tueri: id & mihi in causa aliena adversum te in præsentî propositum est. Tuenda Religionis fama, sic tamen, ut ne tibi hostem, qui nullus est,ingas: non eum, qui nullo dolo malo quid scripsit aut egit, ut calumniatorem, ut impudentem, ut stolidum, insanumque proscindas? quàm hæc peregrina, quàm præpostera Religionis defendendæ ratio! Licuit tibi, quæ velles, honorifica quæque de Religionis tuæ, ut sanè meretur, dotibus præcellentijsque conscribere; licuit propositiones illas, quæ in considerationibus leguntur, integris voluminibus refellere: Licuit earum falsitatem argumentis undecunq; petitis ostendere, rectè prudentissimèque tuo functus fuisses officio, tantumq; abest, ut aut me, aut ipsum libelli authorem hoc in genere adversantem haberes, ut quàm consentientissimum: Est enim hoc vetus & solenne Alina Societatis institutum, non tantum nulli hominum statui, nedum Religiosis Ordinibus, minimè verò sanctissimo tuo Ordini, cuius in Jesuitas beneficia non falsò memoras, detrahere, sed multo magis eos ornare, honorificè de ijs scribere & loqui, id quod si nescis, & peculiari ijs lege præceptum est: fuitque hætenus (novit Orbis atque tu ipse fatebere) tanta hoc in genere Inclytæ Societatis omni ætate modestia, ut nemo unquam ipsorum quenquam seu Religiosum, seu alium scriptis sustineret laessere: nonnunquam jure naturæ usam, famæq; necessaria gratiâ adversum calumnias, sæpius & immeritò ingestas coactam fuisse scribere, idq; tantâ (libros consule) moderatione, ut nunquam omnino (adverte animum)

num) nunquam sibi licitum putaret, in Cœtum aliquem Religiosum (licet oppositum sapius experta) calumniam generatim jacere: atque hoc tibi denuncio, sanctèque confirmo; quod si talis, qualem tu seu antea, seu nuper in Societatem promovisti libellum, ab ipsorum aliquo in te, seu tuum, aliūve Ordinem egestus fuisset, nullum non pœnæ genus imperio Superiorum fuisse luiturum: id quod si Soterius inter motiva B. Aloysij, ut rectè poterat, collocasset, erat forsan, qui peculiare quiddam hoc in genere in Societate suspexisset, suffecissetque fortè nonnemini, ut animum ad ipsam appelleret; Ego sciam si modum scribendi tuum, atque ex adverso modestum illud Jesuitarum silentium adolescens intuerer, mihi crede, magnum fuisse, quo abs te ad Jesuitas transirem, momentum futurum. Scin⁹, quid mihi animus subjiceret? Ist hoc plane: Homo Religiosæ militiæ tam vetus, gloriæ atque motuum suorum aded parùm potens, talia scribit, tali modo scribit. Quid Jesuitæ? silent, tolerant, malum in bono vincunt: Quid consilij fore? Tu, quem tot anni aded parùm in Sapiencia promoverint, speras, me tuis institutum vestigijs? longissimè profectò aberraveris.

Famam igitur Religionis tuæ defendendæ qui sumpteras, hoc imprimis nôsse debebas, argumentum fortissimum tibi futurum fuisse modestiam, ut ex qua colligere statuarèque possent Lectores, quodnam genus virtutis in hominibus tuæ Religionis versetur, poteratque vel hoc uno (passionum tuarum mortificatione ostensâ) vim illius convitij, quo nonnulli Religiones aliquas nimix commoditatis accusant, refringere. Parùm igitur rectè defensionis provinciam sustinuisti, ut qui illud (quod ante omnia ad fidem faciendam prudentibus persuadere atque imprimere debebas, te non loqui ex passione, non ex cupiditate ultionis, sed judicio sedato, atque unius veritatis more minimè omnium observasti, verùm in singulis ferè pagellis execra-

tio-

tiones, sannas, scommata, thraſonismos & neſcío quæ, tantabile illeviſti, ut dictis tuis apud homines ſano palato præditos guttum omnem ſaporémque detraxeris, uſque ad eò, ut ſi cauſam etiam juſtiſſimam evidentémque haberes, in eo tamen, quo alium accuſabas, tute ipſe ſexcenties magis reus ab omnibus iudicaretur. Quæ ego non idcirco adfero, tanquam me iſta tua probroſè dicta vehementer commoveant. Quid enim latratus iſti ad ſtrepitum duntaxat ciendum, minimè autem ad vim faciendam comparati? quos vel miles tabellarius aſpernetur.

Sed age, quando tantum Religionis tuæ defendendæ ſtudio te ſubegit; quæro ex te, quò tandem deſenſionis tuæ conſilia referebas? quem fructum petebas? huncne, ut conſiderationes tibi inviſæ tuoque ordini, ut tute ſingis, contumelioſæ retractarentur? anne potiùs, ut univerſa libelli memoria, omnesque ejus apices concerperentur, atque ex animis hominum penitus abolerentur? anne ut author talium, ut ais, probrorum, ad ſupplicium commeritum pendendaſque tibi pœnas dederetur? anne compeſcere & reprimere Jeſuiticæ ſcriptionis audaciam, quo ne ſimilia in poſterum attentent? fructus ſanè præclaros, ſi eos vel expetere prudenter potuiſſes, vel debite prudentérque expetiſſes. At enim, anne poteras retractationem revocationémque expetere eorum, quæ aſſerta nunquam ſunt? & ne quidem, ut aſſerentur, in mentem venerunt? Quâ tu juris lege revocationem convitij poſtulas ab eo, qui non fecit, quamque feciſſe nemo mortalium, qui libellum inſpexit, exiſtimare potuit? Tu ſolus ſagaciſſimus, qui, quod alios fugit, ſolus deprehenderis, cujuſque clamoribus opus erat, ut omnes alij de convitio contumeliaque accepta docerentur. Nemo ante te queſtus, nemo injuriæ ſenſu vocem ſuſtulit: anne ad eò famæ ſuæ immemores, ut tam manifeſta, quemadmodum tu appellas, probra non viderent? Te ſcilicet artifice opus erat, ut è verbis ad eò
inno.

innocenter elatis convitii nomen exsculperetur. Quanto potiori jure, quæ tu prudens volensque acervatim plenisque buccis jactasti, te revocare conveniret! & revocabis, opinor, si prius mentem revocaveris.

Jam si illud alterum spectasti, ut oblitteraretur libelli malefani memoria, utque ex juvenum manibus contumelia tui Ordinis, quam fingis, excuteretur, quam parùm apposito mehercle consilio usus es! si via modusque de industria fuisset ad claritatem libello conciliandam quaesitus, non erat opportunior efficaciorque, quam quem tute ipse adhibuisti, vel studiosissimè cogitanti subventurus. Tu tuis clamoribus eum è parietibus Academicis obscurum ad lucem famamque publicam extulisti; tu plurimis, qui alioqui ne oculo erant eum dignati, ut avidissimè expeterent, legerentque, orexin excitasti; tu in pulpitis manibusque puerorum latentem, inter viros etiam & eruditos clarescere, & quæ vis est veritatis & innocentia, ut etiam æstimarent, commendarentque, fecisti; quandoquidem satis notum est, alium longè, quam tu velles, extitisse hominum prudentum etiam Religiosorum, etiam Ecclesiasticorum, etiam Romanorum sensum, atque sapius sollicitèque scopulos illos naufragiis alienæ famæ infames cum visere intuerique cuperent, te etiam digitum clamoremque intendente, ne tubo quidem optico videre valuisse. Profectò alieno prorsus consilio vir alioqui prudentissime tua cæpta adornasti; satius longè atque ad institutum tuum conducibilius facturus, si non extra orbitam ad media extraordinaria profuisses, sed viam iniisses ordinariam, quæ erat hæc, ut si qua te læsum, fraudemque tuo sancto Ordini structam putabas, ad eos legitimam quærimoniam verbo aut literis detulisses, qui & mederi facillimè poterant, & erant, quod recta ratio, concordiaque retinendæ amor suafisset, remedium certò certius allaturi. Verum tibi fumum publicum spectanti dimicatio scilicet non ignobilis &

H

ob-

obscura, sed publica & clamorosa suscipienda erat, quâ si vinceret (victurum autem neutiquam dubitabas) intento digito ceu causâ Religiosorum omnium assertor & vindex ipollis onustus Jesuiticis monstrareris. Quam verò hoc inconsulto! quam nullo fructu! nisi illo, qui plerumque ex talibus Religiosorum contentionibus existit, cachinnatio alienorum, admiratio Catholicorum, amaritudo animorum, scandalum & dedecus publicum? Non erat, mihi crede, hæc via, quâ ad gloriam grassareris.

Jam si pœnam Authoris poscebas, hanc ipse tibi non debebas expetendam putare: Superiorum hoc erat officium, qui querimoniarum tuarum, si quam ordine instituissem, non erant non delaturi. Severissimæ sunt hoc in genere Societatis urnæ, atque in publicis excessibus castigandis admodum implacabiles. Quod si in Provincia Superiorem, qui id erat ausurus, ob dignitatem delinquentis non invenisses, nequaquam Orbe toto diffusa erat Romana Societatis curia, ejusque Supremus Præpositus, quem quid erat negotij literis vel unis convenire? Verum enim vero hanc tu viam, ambagem appellas, minus è dignitate tua negotijsque futuram; & dignitas scilicet erat virum integerrimum, de teque non nihil meriti tam scabiose proficendere. Et negotia tua consarcinando tam operoso tot conquestis Sanctorum Patrum sententijs, tot notis interpuncto, tot facto probris apologetico non oberant, literulis unis oberant. Quid autem, si pœnam Authoris expetebas, cur non eum dum viveret, verborumque suorum rationem mundo Ordinique tuo reddere poterat, appellasti? verecandia scilicet erat Virum Venerabilem atque provecum eo honoris genere ad fata deducere; an potius ne quas offundere parabas officinas, testis ipse verborum suorum, obvia expositione discuteret? At scilicet tum non relinquebatur copia edendi centunculum illum tuum, quem, si domi delitesceret, scilicet decumanum dicitur.

turnumque laborem, quem in eo meditando legendoque
posueras, sine fructu lucroque gloriae abiturum putabas.
Timebas forte etiam, ne anser olori obstreperes, & cum
Viro gravissimo tam parum apte garriens a prudentibus
exsibilaberis. Dij tibi hanc mentem etiam in posterum!
Ne quid nimis Mellite: noscimus, noscimus hominem;
modulum virium, conditionem ingenij, eruditionisque ac
judicij tui noscimus, perspicimus, tenemus: *Tu putas,*
quod multa scis, & satis bene intelligis, sed scio, quod
multa sunt, imò plurima, quae nescis; Quae tibi non de-
rogandi causam propono, sed ne putes fucum nobis aut viris
peritis tuam ventosam magniloquentiam fieri posse. Trutinatus
es, bone vir, planeque perspectus, quantum ponderes:
inventus es minus habens: *multum inane,* quod verba
& sonitus nequaquam aggravabunt. Et neque si te alij
scabant, neque si laudibus ad tumorem usque inflent, aliud
agunt, quam genio tuo litant, pondus non addunt, neque
statuam tibi inter Mabilonios exsculpent. Et tu tamen,
quantus quantus es, tantillus tamen ad Virum illum omnem
exceptione majorem, sustinuisse frontem tuam sapientiae
ejus sanctimoniamque objicere, honorem posthumum, pios-
que manes tuis probis onerare, quae tibi vir ille Caelo citra
controversiam receptus multum erit, si sic abire sinet, poe-
nam, quod tibi salubre sit, serius aut citius repetiturus.

Postremum est, quod spectare scribendo poteras, ut
Jesuitis os in posterum talia effundendi obstrueres. Egre-
gie profecto: tu metam, tu Calpen & Abylam scriptita-
tionibus Jesuiticis defixisti: ne plus ultra. Hoc equidem,
bone vir, prorsus otiosum ac supervacaneum erat. Quan-
do enim Societas sibi spolia legenda ex aliena diminutione
maeroreque putavit: Cautos videlicet eos reddere vole-
bas & circumspectos, Superiores in primis, ne per incuriam
similia in publicum prorepere patiantur. Papae! tu illis
aures vellicare debebas? Quid autem tantis procellis tem-

pestatibusque erat opus? Nonne faciliori longè negotio,
molliori via hoc consequi poteras? quo simul & tuæ mo-
derationi, & famæ tui Ordinis in posterum abunde consu-
luisses. Et alioqui non tam præcipites sunt, aut incogitan-
tes Jesuitæ, nec Superiores tam incuriosi, ut scripta non
percollata, plurimumque censuris non accuratè limata publi-
co aulicè committere. Quod expertus ille procul dubio
fuisset, quicumque partum similem tuo in Ordinem quem-
piam aut personam Religiosam fuisset ausus ornare. Et
hoc sanè, nisi tu ipsemet scisses, nequaquam credo te tam
ferreum fuisse futurum, ut professis adversùm Jesuitas ini-
micitiis, in medium eorum aprino te dente ingereres, ceu
nullus esset inter eos David exiturus, qui adversus hunc
Goliathulum sustineret dimicationem suscipere. In quo
tibi fingebas, primum, quòd essent Jesuitis ut plurimum ad
similia certamina per leges eorum, superiorumque vigilan-
tiam ligatæ manus; in quo procul dubio minimè aberrasti.
alterum, quòd putabas te talem ac tantum virum adeò aliis
omnibus terrori fore, ut tuis vel eminus conspectis umbris
continuo decederent de via; in quo sanè insigniter haluci-
natus es, hocque amplius, quòd, cum tibi adversus pri-
mum tuum libellum nemo responderet, tibi in sinum pu-
gnumque ridebas, id nimirum reputans formidine tui fieri,
ingenioque Jesuitico dlcacitæque putabas te tandem fri-
gidam affudisse. Macte animis virorum alpha, qui Hercu-
leo sanè labore defunctus, hydrâ elisâ, merearis ut in ludis
Olympicis laureâ coronatus incedas. Atque poteras,
quantum ego existimo, his manubiis citra ullum interpel-
latorem etiam in posterum gloriari, si quietam earum pos-
sessionem tenere voluisses. Jam verò cum novam aggres-
sionem seu per temetipsum, seu per emissarium tuum ali-
quem ceptaveris (quod ego nisi ante sex dies, quàm hoc
opusculum exorsus sum, ne auditione quidem percepe-
ram) enim vero nescio, quo genio stimulatus mihi tentan-
dum

gotio,
e mo-
onlu-
gitan-
a non
publi-
lubio
quem.
Et
e tam
s ini-
s, ceu
hunc
i quo
im ad
gilan-
crafti.
d aliis
mbrit
aluci-
s pri-
n pu-
fieri,
n fri-
ercu-
ludis
teras,
erpel-
pos-
gres-
n ali-
n hoc
cepe-
ntan-
dum

dum aliquid rebar, eo consilio, ut tibi gloriam, quam ex illustri fortè castigatore reportaturus eras, præriperem.

Ante omnia porro isthoc te monitum volo; silentium illud diuturnum, quo sunt Jesuitæ ante hac usi, non ex inopia consilij, aut responsionis diffidentia profluxisse, verùm ex solemnî Societatis modestia, ut quæ omnia malit, quàm contentiones cum Religiosis præcipuè viris suscipere, retinentissima ejus effati: *Honor est homini, qui separat se a contentionibus*; proptereaque sæpe acerbissimas quoque calumnias silentio concoquere sustineant, siquidem probabilis spes sit, silendo, patiendoque pacem, concordiam, ædificationemque publicam iri redemptum. Quoniam verò sunt hac spe nimium quantum falsi, eorumque silentium fraudi ipsis insigniter fuerit, nequè sint, quod unicè spectabant, consecuti, ut crabrones sedarentur, quin potius causam, ut amplius insanirent, dederint, atque ut ne insanire etiam pergant in posterum, eademque oberrare chordâ, timendum sit (si tamen talia scruta, & quisquiliæ extimescendæ sint) calamum ego, quod dudum fieri oportebat, pro æquitate, Jesuitis ipsis minimè consciis arripendum, atque via contraria, quoniam prior illa tam malè cesserat, emittendum, resolvendumque inutili modestiæ os, non ad calumnias aut probra, sed ad tuendam veritatem, innocentiamque putavi. In quo nemo, credo, mihi vitij quidquam daturus est, primum, quòd isthuc descendere æquitatè veterique necessitudine coactus sum; deinde, quòd ita rationem scriptionis meæ temperavi, ut nemo se læsum meritò queri possit, nisi una falsitas, quàm procul dubio argumentis non tantùm lædendam, sed penitus laniandam, conficiendamque, muneris esse mei ducebam.

Ut igitur ad id, unde abij, revertar, aio tantum abesse, ut Jesuitis os acrimoniâ scribendi tuâ compresseris, ut potiùs resolveris, hoc ampliùs, quod æquitatem, ut à parte eorum staret, hac tua aggressionem effeceris, dederisque ansam, ut sinè modestiæ detrimento respondere, si velint, possint; dum maneat in salvo solenne illud prudentum: *Sile, quoad æquitas postulat.* Quo incitamento cur adhuc usi non sint, mea nihil interest quærere: Ceterum ex hac qualiquali elucubratione mea, quam ego nec consilio Jesuitarum, nec scitu, nec nomine, sed unius æquitatis studio mea sponte suscepi, hoc tamen intelligas oportet, seram oris Sapientis non esse aliam, quàm officium debitamque modestiam, nequaquam autem terrores calumniantium, aut bruta fulmina sciolorum; quandoquidem si res & virtus in dimicatione vertatur, non imperitos fortè palæstritas, nec rudes andabatas, nec hospites aut tyrones in hoc genere bellandi Societas Jesuitica producet, quorum tu nec os nec calamum ferre possis: Quod omni tempore, quo pro æquitate ac virtute pugnandum fuit, adversarij eorum sunt experti. Et verò, ne nescias, sic habe, nihil faciliùs, nihil expeditiùs, nihil gloriosius ijs esse, quam in causa sua, si quidem conditio pugnandi in argumentis posita sit, depugnare. Invieta est veritas, quam, si homo sis, nullo negotio defendas. Id, quod tute in hac mea qualicumque exercitatione satis experiri hæcenus potuisti; adeò parùm cum tuis argumentis laboro, ut mihi etiam ludendum cum ijs putem, plusque eniti, contendereque debeam, ut te erudiam, capacemque reddam, quam ut argumenta revincam tua. Non ago tecum congestis undeunde Sanctorum Patrum effatis, non centonibus è pentumaledicorum depromtis, non exaggerationibus, & auctarijs instrumentis, non suppetijs peregrinis in subsidium vocatis, non adnotationibus ad eruditionis qualisqualis famam obtinendam comparatis: nihil horum in armis numero, in defensione pono: unam veritatem tibi ob oculos

los pono; quod implexum tibi erat. explio; quod involutum, evolvero. Oculos tuos, mentem tuam intellectumque inter arma mea habeo; His contra te, contra os tuum, calumniasque decerto; Si capias, si intelligas, vici, non argumenta tantum, quod nolis, tua, sed modestiam quoque, quod optare utique, & gratum habere debebas.

Ad hunc planè modum in alijs quoque, in causa Societatis institutis decertationibus res habet. Quantum enim multa Societati JESU ab omni hominum Ordine subcuncta hæcenus fuere certamina, nullumque sit nomen tot adversarijs appetitum; adeò tamen argumentis & rationibus profectum nihil adversum eos fuit, ut suo se plerumque mendacio calumnia conficeret, abiretque per semetipsam universa moles in auram & fumum, ex quo erat compaginata; sæpe etiam exoptandum ipsis fuerit impugnari, ut veritatis & innocentia purum eventilatione pateret, illisquæ notesceret sinceritas adamantis. Tribus potissimum in eos certatum fuit argumentis: mendacio, exaggeratione, sinistra interpretatione: Sæpe ex uno facto de universa causa pronunciatum; unius vel alterius hominis noxa universo corpori imputata. Si nova non suppetent, vetera recoquebantur. Si multa non aderant, idem sapiens & sexcenties alijs, atque alijs tropis, sententiisque proferebatur; quod per se frivolum erat ac futile, phaleris elegantijs, sarcasmis, scommatis circumdabatur; denique omnes initæviæ, omnes torni, stilique adhibiti, ut ex re nihili portentum aliquod horrendum, ingens effingeretur. Horum exempla in libello tuo non tot quin plura suppetunt; graphicæque præcepta omnia cum Jesuitis pugnandi implevisti, vetera, aliena, inania regerendo, eandem nœniam iterum iterumque repetendo, exilia, ludicra in Cælum attollendo, stomachationibus, invectivis, exprobrationibus, censuris, omnia ferè folia farciendo, illudque imprimis, quod argumentum propriè tuum est, ut propositiones innoxia optima-

timâque mente relatas fœdissimâ interpretatione in sanctis-
simi viri contemptum, Societatis invidiam torqueres.

Atque tu, cum ista tam diu, ut notum est, meditarere,
tam diligenter, operosèque conscriberes, non prospexisti,
fore aliquem, qui umbratile hoc ædificium esset admotâ
manu exploraturus, vinculum compagum, firmitatem ma-
teriæ formæque experturus; vehementer mehercle tibi-
met imposuisti: Necdum, mihi crede, exhausta est pha-
retra Jesuitica; & ipsorum manat de vulnere sanguis, siqui-
dem vulnera & non potius tumentis livorèque purulenti
carcinomatis sectionem facere sit animus. Quid enim?
fremeres? rident. Falsa promeres? detegunt. Exag-
gerares? genuina referunt. In pejus acciperes? obviâ
interpretatione larvam detrahunt. Vetera ingereres?
ad veteres refutationes remittunt. Nova produceres?
aut falsa, aut frivola, aut privati hominis esse demonstrant.
Scornata, convitia jacularere? Cachinnum, commiserationem,
patientiam reddunt. Quid ageres ultra cum ho-
minibus habentibus scutum inexpugnabile, æquitatem?
reconde, quæso, machæram tuam, atque anhelitum tuum,
quo te ad deliquium ferè fatigas, ad refrigerandos pulmo-
nes expende; nisi cum umbris & aura velitando te risui
omnium velis exponere,

Hoc ad extremum ex me, qui honori tuo ex animo
sincerissimo consultum cupio, monitum cape; fœdissimum
prorsus esse, atq; ab stomacho nobili plurimum abhorrens,
alienas sordes consecrari. Sunt homines de hara, quibus
hæc adipatissima omnium ossa, præ quâ etiam Deorum
mensa ijs desipiat; quique amplius effusiusque (sit venia
verbo) invento stercore triumphant, quàm pueri inventâ
eicindelâ. Vicos & fora concursant, lituo & crepitaculis,
velut magnum quid atque ingens ostensuri personant ela-
tissimâ voce clamantes: Audite cives, & quotquot adestis,
huc

huc oculos narésque advortite: portentum! portentum!
oletum inveni. bene est, beatè est: Habe tibi has deli-
cias, quisquis es, scarabæ de genere illorum, quibus adeò
sapit linter furfurum, ut ei jucundissimè innatent, & velut
olores in Cayco apricentur.

Non in te hæc Mellite, quem puto boni Zeli specie
deceptum, non camerinæ movendæ gratiâ, quæ scripseris,
scripsisse: Verùm, ut est hominum ingenium & mos, etiam
ea, quæ recto animo suscipiuntur, sequi accipiendî, ca-
veas, necesse est; ne tali, qui in homine præcipuè Religioso
turpissimus est, cavillo nonnemini dignus videare. Apage
procul quisquillas istas ab ijs, qui cælestibus delicijs innu-
tritî ad ea potiùs, quæ in alijs bene olentia viderint, famem
integram debent, quàm ad retrimenta, & fæces afferre;
minimè verò opima, quæ repererint virtutum bellaria cor-
tice faculento oblinere. Sed hæc hæcenus: exequamur
meliora.


Spero Mellite, quæ tua est adversùs æquitatem tracta-
bilitas, te eo demum fructu tuorum consiliorum fore con-
tentum, si ademptâ fædâ illâ, quam animo tuo induisti,
specie, sensum verborum Soterij, qui re ipsa est, commoda
& vera interpretatione exposuero. Majorem sanè satisfa-
ctionem ab viro honorato, cujus verba accusantur, in nullo
tribunali seis, expeti, quàm ut sua ipsemet verba legitime
tolerabiliterque interpretetur, usque adeo, ut si quæ etiam
fuisent, quæ malo dolo protulerit; ejusmodi interpreta-
tione, quæ re ipsa vim revocationis habet, sibi satis esse fa-
ctum offensus ingenuâ mente præditus arbitretur. Quæ
non eò dico, tanquam ea sit verborum illorum conditio,
ut interpretatione indigeant. Ipse modus libelli, circum-
stantia, in quâ proferuntur, mens Authoris omnibus in lo-

cis elucescens, ambiguum verborum sensum nullo pacto relinquunt. Sed quoniam tu id hactenus (quod sanè mirabile) minimè omnium vidisti, explicatam tibi pluribus argumentis oportuit, in quo me cerè officio boni viri liberaliter functum arbitrare, qui infirmitati tuæ hunc qualemcunq; laborem, quem res ipsa minimè postulabat, detulerim. In concordiam igitur redi, atque ægritudinem animi non nisi à temetipso profectam existimationi prudentiæ, quæ de te est, condona: Id quod, etsi reapse læsus esses, jam tandem facere debebas, sumpta per teipsum tam magnifica ultione, præcipuè cùm tute ipse non uno in loco fatearis, nullum ad hanc usque ætatem tam contumeliosum ab honoratissima Societate libellum esse profectum; Quod cùm tibi jam tum, cùm primùm calamum assumebas, in mentem venire atque meliora suadere debuisset, nunc certè suadere quàm maximè debet, quo tempore id, quod antea minimè videbas, tibi planè dilucidèque ob oculos positum, manibus ipsis, ni spes me fallat, palpare potuisti

†



CA-



CAPUT XIV.

Reditur ad umbras Melliti.

Est igitur, ut illud etiam, quod alibi tractare cecepi-
mus, ad lydium refricemus, utrùm videlicet propo-
sitiones illæ ad considerandum propositæ, quoad
speciem externam sint malè sonantes, quas piæ men-
tes audire refugiant? Rsp. Nequaquam, quia in talibus cir-
cumstantijs & eo fine ac mente proferuntur, ut cuilibet et-
iam simplici ac rudi appareant non asseri, aut propugnari ab
Authore, sed tantùm referri ac proponi tanquam talia, quæ
nonnunquam dicuntur & objiciuntur; quorum proinde co-
gitatio deliberanti necessaria & utilis est ad electionem re-
ctius statuendam. Aliud longè foret, si ab aliquo proferren-
tur in alijs circumstantijs, in quibus nesciretur, utrùm asser-
tivè, an aliter, nec quo fine proponerentur: tunc enim essent
natæ, ut ijs auditi. pia mens, Religiosis alioqui Ordinibus ad-
dicta, offenderetur. Sic una eadèmq; propositio de re
etiam sanctissima v. g. de fide Catholica prolata in quibus-
dam circumstantijs audiret ut insolens, malè sonans, bonæ
menti gravis & molesta, uti si simpliciter, & absque alijs
adjunctis, antecedentibus & consequentibus enunciaretur,
v. g. SSS. Trinitatem videri adversari lumini naturæ: Quæ
propositio adeò malè sonaret, ut etiam hæretica censere-
tur: in alijs contra circumstantijs, v. g. si objectionis causâ
pro-

proponatur, tantum abest, ut male sonet, ut etiam necessario, atque utiliter in Scholis ad meliorem SS. Trinitatis cognitionem proponatur. Pari igitur ratione propositiones illae in circumstantia considerationis problematicae (in qua proprius locus est, non tantum ea, quae *pro*, sed etiam quae *contra* sunt, afferendi, neque speciem ullam habent asserti aut enunciationis, sed relationis tantum & expositionis) minime habentur, aut habendae sunt ut male sonantes, piarumque mentium offensivae, ut quibus satis notum, ex quo sine proferantur. Quod inde ulterius patet, quod saepe in considerationibus ejusmodi problematicis, quod forte absurdi in una ejus parte secundum se sumpta videntur, in altera ejus parte formaliter, vel aequivalenter, seu vel explicitè, vel implicitè diluatur.

At dices, saltem dari juvenibus ansam dubitandi de aliqua Religione, an v. g. sufficiat ad tentationes vincendas; neque ei dubitatio resolvitur; proinde concipit, retinetque sinistram de tali Religione opinionem. Rsp. Nullam dari ansam dubitandi de praestantia Religionis; minus ingenerari malam existimationem: nihil enim novi juveni dicitur, sed tantum proponitur id, quod alias inter homines saepius auditur, proponitur, inquam, non asseritur, atque ipse juvenis satis palpat, sibi haec non proponi, ut credat, aut de praestantia Religionis alicujus dubitet; sed tantum, ut consideret, quantum ad se talis propositio pertineat; an propter illam statum sibi Religiosum omittendum putet, quae dubitatio non semper ab ipso Confessario, sed potius ab ipso deliberante resolvi debet, ut quo nemo melius novit suas fragilitates & tentationes; & ideo spatium illi cogitandi praescribitur, ut haec bene expendat, illudque ad extremum statuatur, quae sit spes, si ipse in tali Ordine viveret, tentationes vincendi. Quod si hoc sibi fidat, objectio est soluta, sublata dubitatio.

Dixi

Dixi & jam alibi peculiari capite demonstravi, Confessarij non semper esse, ut objectiones contra aliquem statum fieri solitas ipse dissolvat, non, inquam, hoc esse de officio Confessarij; primum, quod aliquando Confessarius nec possit omnes objectiones dissolvere, quandoquidem in omni Statu Religioso innegabilia sunt quædam incommoda, quæ nullis in oppositum argumentis elevari aut refelli possunt, & vero nec debent; manca enim esset deliberatio, atque deliberans in re gravi deciperetur: multò minùs autem debent, quod fortè tu velis, clam haberi talia incommoda coram deliberante, tum enim verò ejus negotium pessime gereretur. Quis potius ad experientiam deliberantis constantiam, qui fortè ad certum statum sese determinavit, sinceritatemque vocationis probandam, ex officio confessarij est, candidato nonnulla contra talem statum ultro objicere; quomodo ad eas sit animatus, attendere (ut idem Soterius alio loco præscribit, & omnes prudentes faciendum censent) in quo non nisi insulsiimè quis confessarium accusaret, quod juveni propositiones scandalosas, impudentes, aut malè sonantes proponat, cum hoc secluso negotium vocationis non nisi imperitissimè, periculosissimèque tractaretur, utpote solius adolescentis parùm providi, expertique libero desultoriòque judicio relictum. Sanè si Confessarius talia objicere metu scandali, detracti-
onis, contemptùs aliorum Ordinum prohiberetur, præclusa tum foret via omnis recti consilij, proinde & rectæ deliberationis: deferendum quippe esset primis juvenum impulsibus nullo contra verbo prolato, scilicet, ne, si quidpiam opponeretur, reus continuò gravissimorum fieret delictorum, obellam, si DEO placet, deliberandi methodum! Sed ne in re apud omnes comperta laborem, hoc tantùm moneo, ex his ipsis objectionibus, quas Soterius multorum annorum usu in hac palæstra exercitatus, juvenibus privatim fecerat, confecisse postmodum catalogum
illum

illum considerationum, quæ tibi adeò bilem moverunt. Quod privatim dicere licuit (ut certè licuit) quid vetabat eas in plurium & promptiorem usum pagellis committere ab ipsis juvenibus majori otio suppetente accuratiùs expendendas? Quis autem juvenum, si quando ipsis ea, quæ damnas, atque alia talia ab aliquo Confessario privatim objiciantur, quis, inquam, juvenum ea accipit ut impudentia, ut malè sonantia, & non potiùs ut objectiones, quales re ipsa sunt ad ipsius constantiam sinceritatè que propensionis explorandam? Porro si ad evitandum scandalum, malùmque sonitum objectiones illas Confessarius ipse dissolvere deberet, quem, quæso, in finem illæ juveni objicerentur? anne ut confessarius eas solvens speciem suæ prudentiæ juveni præbeat? ineptè. anne ut juvenem in suscepto proposito ne in minimo perturbet? hoc verò imperitiùs, cæciùs, periculosiùsque fieri nil posset, desineretque finis omnis directionis. Liquet igitur objectiones primario non ab confessario, sed ab ipso deliberante dissolvendas esse, eumque potissimum esse earum finem, ut relicto deliberanti spatio cogitandi, ab ipso deliberante pro modulo ejus, captuque dissolvantur; in quo si modò vera sit, & serîa vocatio, deliberans etiam juvenis haud admodùm laborabit, ut experientia quotidiana docet. Agitur enim de re in propetulo existente, tot Religiosis quotidie ob oculos versantibus, ex quorum vivendi more, si eum sibi secundum putet, satis intelliget, quantam vim facere objectiones illæ in oppositum valeant.

At quæras: ut quid Soterius objectiones illas, quæ contra Societatem JESU fiunt, tam gnæviter dissolvit? eas, quæ contra alios Ordines, non solvit? Hic busiris, hoc genus calliditatis & supinæ philantiæ. Rsp. j'ò quid si tibi ultro & liberaliter, quod aliàs feci, admittam, Authorem voluisse non nihil amplius Societati, quàm alijs Statibus

favere? Quid mirum? Quid absurdum? Jesuita erat, cui vel ipse ordo charitatis suadebat, plus suæ Matri, quàm alijs statibus deferre. Si tute ipse libellum in simili argumento scriberes, quis quæso tibi vitio verteret, quòd plus aliquantum tuæ, quàm alijs Religionibus tribueres? Hoc ipsum officium filij adversùs Matrem suam nonnullo jure flagitat: Parùm autem rectè, planèque imperitè contendis, hanc qualemcunque propensionem esse sordidam ac putidam philantiam, aut eam in aliorum Ordinum injuriam vergere; planè, inquam, injustè isthoc quiritaris, nisi velis omnium hominum morem criminis & flagitij arcessere, quorum quisque suas amplius, quàm alienas merces commendat. Si Author aliorum Ordinum commoda non attulisset; si afferendo incommoda afferuisset aliqua, quæ in eorum contemptum cedere potuissent; si considerationes tali modo proposuisset, ut appareret, eum positivè velle ingressum aliorum Ordinum dissuadere, tum enim locus esset aliquis querelæ tuæ tam acerbæ relictus; nunc autem cum & commoda liberalissimè attulerit, & nihil *asseruerit*, quod vel infamiam vel contemptum inferere possit; sed omnia tantùm problematicè, atque ad instar objectionum, quas in simili negotio inevitabiliter fieri ipsa deliberationis natura postulat; cùm ex omnibus libelli apicibus eluceat optima ejus mens, non avertendi à quoquam statu, sed tantùm ut providè, circumspèctèque eligatur, laborare; quis, obsecro, ei meritò succensere? quis injuriarum petere sapientum poterit? Nisi hoc ipsum reputes esse alios status contemnere, aut eorum ingressum dissuadere, quòd eorum incommoda, & quæ contra eos fieri possunt, objectiones proponat. Quod quàm parùm è ratione diceres, omnibus ingenuis, qui vel obiter negotium deliberationis intelligunt, est perspectum. Atqui talia proponendo juvenes possunt ab aliquo statu absterreri: bellissimè profectò; Ad quid ergo, aut quem in finem deliberatio instituitur, nisi

nisi

nisi ut cognoscantur tum ea, quæ allicere, tum & ea, quæ absterre possunt? Quàm imperita, inuò quàm nulla esset deliberatio, in qua tantùm ea, quæ invitare, secus alia penderentur! Hic porro ne exclames, voluisse Soterium, aut intendisse quenquam ab ullo statu absterre; hoc enim calumnia foret. Qui enim non ea tantùm, quæ absterre, sed etiam ea, quæ inducere nata sunt, proponit, non nisi malitiosè censeretur velle absterre, quin potiùs velle ad perfectam, & legitimam electionem, quæ fieri sinè utriusque partis consideratione nullo pacto potest, adjuvare.

Rsp. 2. *Causam, cur vir Religiosissimus objectiones contra Clarissimam Societatem factas peculiariter dissolverit, potuisse illi succurrere specialem, quæ in alijs statibus non occurrebat: primùm, quòd Societas plurimùm ab hominibus hujus seculi (utinam ne ab alijs!) impetatur, proscindatur, diffametur, cui proinde nequaquam oportebat novam detractionum materiam suggerere, aut argumenta ab Authore domestico subministrari, quibus eam specioso colore, tanquam ipsis Jesuitis talia de se confitentibus & scribentibus, proscindant. Quæ ratio, ut liquet, de alijs statibus haud erat. Deinde sunt aliqua in Societate peculiaris, & illi soli propria, e. g. dimissio, aditus ad honores præclusus, invidia apud multos, labor studiorum intensus, origo recentior, diversitas graduum, longior in Novitiatu probatio, difformitas ab alijs Religionibus quoad speciem exotica, aliæque talia, quæ in alijs Religionibus non inveniuntur; Hæc igitur, uti sunt objectiones speciales, & cum alijs nulla parte communes, ità specialibus solutionibus indigebant: contra verò quoniam objectiones adversus alios status fieri solitæ in propatulo sunt omnibus, ac tritæ; tritis quoquè & passim occurrentibus responsionibus vel ab ipsis Juvenibus nullo possunt negotio resolvi. Sic licet ea,*
quæ

quæ contra statum Religiosum in communi, aut contra ordines mutare solitos domicilium, etiam contra societatem pugnent, non tamen putavit vir prudentissimus ullam in iis pro societate solutionem adferendam, utpote cum communia sint, quæ proferuntur, & communibus solutionibus dilui possint,

Verum enimvero, si bene libellum inspexeris, nullam invenies objectionem contra alios status propositam, quæ non alio loco vel expresse, vel implicite & æquivalenter solvatur, e.g. hæc, quod *vita nonnullorum videatur commodior, quam ad vincendas tentationes sufficiat*, solvitur alibi in consideratione pro statu Religioso in communi, ubi n. 4. sic habet: *Plurima in Religione sunt salutis media, quæ hominem fere cogunt esse bonum, ut sunt regule, vigilantia Superiorum, assidua Sacramentorum frequentatio, exhortationes publicæ & private, aliorum sanctæ, viventium exempla, lectio librorum spiritualium quotidiana, frequentes corporis mortificationes, meditatio rerum cœlestium, colloquia religiosa, correctio erratorum, sobria dieta: Item n. 3. In Religione absunt salutis pericula & peccandi occasiones ac scelerum illicia, quæ habentur in seculo. Vicia carnis per castitatem, ambitio per obedientiam, appetitus opum per paupertatem emendantur. Absunt pariter pravorum exempla, quæ seducant; adeo, ut nisi quis sponte præcipitare se velit in ruinam, facillime sine ullo graviore lapsu vivere possit.* Hæc Soterius de omnibus omnino Religiosis Ordinibus, generatimque refert. Quid, quæso, amplius desideres Mellite? Ne tu ipse quidem plus dicere pro objectionis illius solutione poteras: Jam quæso te: Si juvenis semel sit imbutus hujusmodi de Statu Religioso dictamine, nonne satis & omnem in partem communitus est adversus illam, quæ deinde oponitur, objectionem? an non ex hoc

principio illam resolvere ad fatietatem potest? vel si hoc non obstante aliam præterea objectionis resolutionem desideres, rogo, quam tandem? vel novam, vel veterem? Si veterem, hæc otiose repeteretur, molesque libelli ultra modum crevisset: Si novam; quam tu tandem meliorem, quam luculentiolem, efficaciorumque afferre potuisses? expende, inspice. Atque ne diu quæras, nonne in indiculo commodorum pro statibus stabilitatem loci profitentibus dicitur, *hanc vitam videri simillimam vite Christi & Apostolorum*, quod si juvenis serio apprehendat, quid ultra erit operis objectiones omnes, modo ad hunc statum inclinet, dissolvere?

Similiter illa objectio, qua dicitur *perpetuitatem Sociorum parere nauseam*, satis superque prævenitur in consideratione pro statu Religioso n. 19. ubi suavitas Religiosi convictus sic describitur: *Ecce quam bonum, quam jucundum habitare fratres in unum! Quid mirum, quod una sit omnibus & mensa, cum una sit omnibus anima, una voluntas, idem finis?*

Contra alteram objectionem, qua dicitur *Perpetuitatem loci ejusdem esse gravem &c.* medicina ponitur in laudata consideratione n. 21. ubi sic: *Consolationibus spiritualibus DEUS Religiosos afficit, utpote quorum animus terrenis cupiditatibus vacuus aptior est ad eas percipiendas. Inter delectationes mundanas autem & spirituales tantum est discrimen, quantum inter Angelos modulantes, & porcos grunnientes. Et hæc consolationes interne (NB.) faciunt, ut omnia onera status Religiosi, quæ aliis gravia videri possent, dulcescant, & cum gaudio ferantur. Ubi enim amatur, ibi non laboratur, vel certe labor ipse amatur. Ita ibi. Item in reflexione super motiva status secularis n. 7. Solatia Spiritua-*

ualia pellunt omnem tristitiam e corde Religiosi. Quo quid ad solatium Religiosi Status magis apposite dici possit, non video.

Certe ex eodem scrinio quam idoneum remedium contra molestiam (si quæ sit, ut certe quibusdam videtur) perpetuitas loci depromi possit, tute ipsemet non diffiteberè: Pone enim juvenem, qui ad talem Statum se ferrè & inclinari sentiat, qui prius illud de consolationibus spiritualibus Religiosorum in animum alte demiserit: objice tum illi molestiam ex perpetuitate loci; quam habebit in promptu dicere, futuras alias in Religione consolationes, quibus illæ molestiæ facile leventur! objice illi *vitam Religiosorum quorundam esse otiosam*, nonne continuo paratum habebit dictamen ex Consideratione, seu reflexione super *motiva pro statu seculari, n. 5. Nemo erit otiosus, qui se volet & sciet occupare. Sancta illa quies aprissima est lectioni, meditationi, studiis, librorum scriptioni, aut etiam laboribus manualibus.* Hæc tibi totidem verbis: inspice.


Objice porro juveni molestiam, seu periculum despoticismi, qui existerè posset ex perpetuitate superioris, nonne hæc difficultas jam pridem sublata est ex eadem Reflexione ad 8. ubi hæc verba: *Si quas difficultates habet Religio, habet etiam premium pro iis certum: re ipsa tamen difficultates majores habet status secularis, easque ferre debet ob vanitatem: Etiam is, qui manet in seculo plerumque habet alios se superiores, quorum sequi debet voluntatem, sepe cum maxima sui violentia & sine merito.*

Objice denique illi, quod multi, aut nonnulli in hac vel illa Religione vivant male contenti, animo ægro, languido, mæsto; quod nimis commoditatum studiosi, quod

otiosi quod certi & perpetui superioris intolerantes, nonne
 habet ex alibi consideratis obvium & solidum remedium in
 laudata reflexione n. 4. ubi sic instruitur : *Si ex eo, quod
 aliqui Ecclesiastici aut Religiosi male vivant, & scanda-
 lose; nemo deberet Religionem ingredi; tum nemo de-
 buisset fieri Apostolus, cum eo horum Ordine Petrus
 Christum negaverit, Judas vendiderit: quanta hæc scan-
 dala! Paucorum culpa non est statui imputanda, qui
 sanctus esse potest, licet aliqui non semper illi respon-
 deant &c.* Ecce Mellite, quam nihili sint omnia illa toni-
 trua & fulmina, quæ non ex libello Soterii, sed ex tuo po-
 tius cerebro erumpunt. Require jam, si superis placet, so-
 lutiones objectionum, quas Author, si etiam mediato ac
 de industria peculiari loco subicere debuisset, non sane po-
 tuisset, nisi veteres repetere. Verum has tu non solutio-
 nes, sed maniam, sed furorem & viro indignam incogitan-
 tiam sibi met ipsi contradicentem interpretaris; vir sane acu-
 tus, qui, licet toties, ut apparet, libellum evolveris, atque
 ut omne ejus venenum exurgeres, multum laboraveris, hoc
 tamen, quod cuique obvium erat, non ceperis, nempe ra-
 tionem consilii, quam sibi Author propositam habebat,
 problematicam, atque pro & contra dissertivam. Adeo bi-
 lis oculos offundit; quam opto tibi meritoriam apud DE-
 um fuisse, &, credo, fuit, quia ex Zelo forte non pessimo
 profecta; Sic interpretor; mel tibi pro felle restituens.

Cæterum ex verbis authoris tam pathetice, tam pie
 prolatis intelligere homo & palpare men-
 tem illius optimam
 poteras,





CAPUT XV.

Reliquiæ umbrarum expedi- untur.

SED adhuc pro te aliquid occurrit : Dicere posses j^o. Hunc modum solutionum esse ineptum ; Quamdiu enim juvenis debet quærere solutiones per totum libellum dispersas , ut eas inveniatur ? Addendæ nimirum erant immediate , ut solent in quæstionibus scholasticis . Addis item : Si objectiones jam in præcedentibus solutæ & refutatæ sunt , quid erat opus eas proponere ? Denique illud etiam conquereris , quod objectiones ejusmodi proponantur , quæ prorsus , inquis , nihil significant ; evidentem falsæ sunt , inconvenientes , aut certe a malevolis tantum , aut ab Authore confictæ . Cui enim incidat , inquis , vel per somnium , quod v. g. Ordo Benedictinus non sufficiat ad tentationes impediendas , vel vincendas ? quod vita sit otiosa , cum tot sit occupationibus intertexta , atque tot extent libri a Benedictinis scripti ? Jam illud , inquis , de perpetuitate loci , sociorum , superiorum , quam ineptum , cum experientia doceat , hæc adeo non esse molesta , ut potius sint jucundissima ; atque si tandem molesta & injucunda sint , ais hæc tantum videri iis , qui in Religione aliud querunt , quam Deum : tales , inquis , præcut dubio ha-

bent tribulationem super tribulationem; sed hoc idem contingere posse in aliis quibuscunque Religionibus, atque imprimis in Societate JESU, ubi tanta colluvies (emenda linguæ) nationum, geniorum, functionum &c. Contra si quis in Religione quærat pure DEUM, hoc ipso talis Ordo est preferendus, etsi superior sit despoticus, socii, vel locus genio molestus, considerata patientia Christi Crucifixi &c. Hæc ni fallor, est potissima tuarum epistolarum summa, qua rem confectam putabas. Eximamus igitur bono viro etiam hos scrupulos.

Ad 1. Resp. juvenem, si bene perpenderit considerationes antè propositas, non diu solutiones illas quæsiturum, cum præsertim adeo planæ sint & obviæ, ut ipsi sponte sua facillime incidere possint: idem est in quæstionibus Scholasticis: Si enim objectiones adeo sint planæ, ut earum solutio sit obvia, aut alibi satis explicata, utique tempus parum utiliter solvendus iis collocaretur. Et denique quanta tandem moles libelli, ut nescio quam operose quæri, sero inveniri solutiones illæ possint? Atque hæc ipsa, si nescis, causarum fuit nonnulla pagellas illas (quæ aliis dispersæ dabantur) in unum compingendi, ut juvenes omnia, quæ sunt de ratione deliberandi, velut uno fasce collecta haberent, ea sibi familiaria redderent, consequentia cum antecedentibus conferrent, unum denique ex alio recte intelligere valerent. Videbatur enim contra propositum, & propter prolixitatem legendi etiam inutile futurum, si singulæ considerationes majori mole, additis ubique exactis & convenientibus solutionibus proponerentur? in qua rursus judicium tuæ prudentiæ relinquo. Jam ad secundum.

Dicis ergo objectiones illas, siquidem jam in præcedentibus expeditæ sunt, non fuisse opus proponere. Resp. nihil minus: nam & necessario & utiliter proponuntur. *Necessario*, ut exploretur atque ipse se exploret, quomodo
ad

ad eas solvendas fit comparatus: Etsi enim objectiones potissimæ, quæ contra statum aliquem Religiosum fieri possunt, sint præventæ & solutæ in communi, necesse tamen est eas applicari ad objectiones in particulari & actu propositas: apud multos enim principia & documenta proposita magnam habent vim, quamdiu aliquod oppositum in particulari non occurrit; hærent contra & vacillant una cum suis principiis & documentis, si illis difficultas in particulari offeratur, pesque sit cum præsentis adversario conferendus: Id, quod quotidie experimur in præceptis Dei, quæ timoratum aliquem satis movent ad propositum non peccandi: eadem tamen præcepta Dei oblata re ipsa tentatione, aut consideratis in particulari tentationibus sæpe non satis movent ad retinendam propositi constantiam. De re igitur, in qua versamur, loquendo, fieri potest, ut juvenis consideratis iis, quæ dixi, motivis, sit omnino resolutus ad amplectendam Religionem, eamque sibi convenientem putet: idem tamen si consideret objectiones in particulari restitabit fortasse atque existimabit, Religionem talem sibi minus opportunam. Quod si eveniat, non idcirco damnanda est praxis tales objectiones in particulari considerandi, quin summe necessarium & utile est, ne juveni imponatur, & objectiones nunquam in particulari consideratas, factæ electionis aliquando penitentiam subeat.

De tertio, quod proponis, multa sane forent dicenda, an & quæ juveni objectiones fieri & exponi debeant, quæ non: de quo esto jam alio loco plura dixerimus, hic tamen in gratiam scrupuli cui nonnulla declaro. Quæstio est, an objectiones illæ, quæ sunt contra statum stabilitati loci addictum, sint ad rem, sint ejusmodi, ut convenienter, & verbo, an sint tales, quæ cum aliquo *fundamento in re* proponi, & considerari prudenter possint: e. g. an a quopiam prudenter proponi aut considerari debeat, ac possit

hoc: utrum Ordo talis sufficiat in tentationes nec ne, an vita sit otiosa, an quod periculum molestiæ ex loco, sociis, superiore perpetuo? Hic ego te non argumenta, sed adnœntias, quas quotidie audire est, remitto: Quid tibi vis? Verum fateri: Ipse sapius talia seu a peritis, seu ab imperitis, seu benevolis, seu malevolis dici & cantari (utinam ne a Religiosis ipsis) audiveris: da locum veritati: neque adeo vim auribus nostris afferas, ut quæ toties audiunt, sibi non audisse videri debeant. Error sit, an veritas, talia tamen audiuntur: quo tamen nihil percelli Religiosi debent, cum hic sit stilus seculi, ea hominum de rebus etiam optimis & sanctissimis sequius sentiendi loquendique libido, ut qui audire talia recuset, e mundo exeat, necesse est. Fundamentum porro seu verum, seu imaginarium est saepe ipsa Ordinis sanctissime instituti, constitutique natura; sic vident nonnullos commode vesci, commode vestiri, commode habitare; contra non vident alia externa austeritatis specimina: non labores admodum fatigantes; quo quid pronius, quam ut in eam opinionem seu calumniam deveniant, tales nimium commode degere? ex quo jam alterum per se consequitur, non esse satis adversum tentationes munitos; quod etsi falsissimum sit, dicunt tamen & multis etiam persuadent; nonne sic est Mellite? sic plane & non aliter. Habes igitur, hanc objectionem non ex machina propositam, aut otiose excogitatam, sed plane talem, quæ inter scrupulos deliberantis merito & convenienter referri possit.

Ejusdem generis est illud de perpetuitate loci, sociorum, superiorum: non disputo hic, an hæc re ipsa molesta & injucunda sint, nec Soterius hoc *affirmavit* (quod identidem, ne obliviscare, tibi inculcandum est) illud tamen certum, quod multis (dico: multis) hæc molesta, imo molestissima videantur: de quo consule Religiosos plerosque ex iis, qui institutum aliud sectantur: consule & seculares,

ex quibus hæc ad fatietatem audies; rationem facile divinabis. Quid igitur inepti fecit Soterius, quod hæc inter objectiones proposuerit? Diceres omnino aliquid, si ea, quæ proposuit, nullum haberent *fundamentum in re*, nullique inciderent; v. g. si diceret: *Tales religiosi sunt meri hirco-cervi vel vulpanseris*: nunc vero, cum ea, quæ proponit, non sint sine omni ratione, nec raro in hominum ore versentur, enimvero te omnibus mirabilem dares, si solus hæc proponi aut mirareris, aut egre ferres. Quod adfers de societate, non laboro: quis enim dubitet, quin nonnulli inter commoda numerarent, si in tanta (quod urbanius dicere poteras) colluvie nationum degendum ipsis esset.

Illud autem, quod addis, quod *qui in Religione pure querit DEum, ei hoc ipso Religionem illam, si cætera non absint, præferendam esse, in qua superior sit austerus atque despoticus, socii molesti &c.* vix non risum mihi movit, reputanti tuum tam exquisitum & plane singularem crucis amorem; quem utinam in affectuum gubernatione modoque scribendi tuo deprehendere potuissem! tum & illud ridebam, quod adeo acutum prodideris deliberandi modum, ut omnem propemodum deliberandi causam sustuleris: Sic enim, quantum quidem tuam mentem assequor, stringis: vel inquis, Superior in aliqua Religione est despoticus & antipathicus, vel non est: Si non sit: cessat incommodum, quo Author libelli candidatos absterre voluit, proinde, quantum quoad hoc, amplectenda talis Religio: Si sit despoticus vel antipathicus, rursus sequitur, esse ante alias amplectendam: quia qui in Religione pure querit Deum, talem Religionem aliis præfert: bellum sane dilemmation, cui simile prorsus de omnibus fere aliis Religionum incommodis institui possit: Age enim: vel in aliqua Religione est magna austeritas, vel non est magna austeritas: Si non est: cessat

incommodum, proinde amplectenda: Si sit; rursus amplectenda: quia qui in Religione pure quærit Deum talem Religionem aliis præfert, Similiter: vel in Religione aliqua vigent studia literarum vel non vigent: Si vigent; magnum commodum impellens ad eam suscipiendam: Si non vigent; pariter sequenda, quia qui in Religione pure quærit DEUM, eam Religionem aliis præferet, quæ majorem occasionem humilitatis habet. Ad eundem modum arguere poteris v. g. vel in aliqua Religione est stricta paupertas, dura obedientia, arctissima castitas, vel non est: Si non; est invitamentum ad illam: Si ita; suscipiatur: quia qui in Religione pure quærit Deum, eam præferet, quæ strictior, durior, arctior. En, quam feliciter pleraque Religionum incommoda sustuleris, ut qui ipsa incommoda ad comoda transtulisti? Nulla jam deliberandi causa: vel enim comoda sint, vel incommoda: Si comoda; Salva res est: Si incommoda; tanto amplius expetenda. Egregie laborem omnem confessariis hoc in genere ademisti, curam anxiam rectæ electionis juvenum mentibus exemisti; illud postremo affectus, ut quilibet ad quodlibet. Miror, quod non potius ad triremes, vel mancipatum Turcicum deliberantem releges; ubi plures tanto incommoditates, ob quas tu Religionem præferendam putas, & speciatim superiores longe magis despoticos & antipathicos nancisceretur. Mi bone! Non est ea hominum conditio, ut quamvis etiam in Religione pure quærant Deum, tamen omnia perferre queant. Sic multi, qui in Religione minus austera v. g. Benedictina, pure quærant Deum, rigorem tamen alterius Religionis v. g. Capucinatorum perferre nequaquam possent: nisi hoc dicas, quod qui vitam commodiorem degunt, & ab incommodiore abhorrent, pure DEUM non quærant; proinde qui ad vitam incommodissimam non aspirant (uti sunt seculares, seu laici, seu Ecclesiastici, plerique imo omnes Religiosi) Deum isti pure non quærant,
imo

imo nullus moraliter hominum Deum pure quærat, quia nullus moraliter invenitur, qui vitam incommodissimam exambiat.

Dices tu quidem, me callide & mutile accipere tua verba, te non locutum fuisse simpliciter & absolute, sed cum limitatione: *Si cætera non desint.* Tunc enim, ais, non debere quenquam absterri ab aliquo ob cruces & afflictiones in eo timendas: modo, inquis cætera non desint, quæ in tali Ordine expetenda videntur. Sed & sic tua verba frustra excusas: Si enim hoc semel statuas Religionem aliquam non posse prudenter omitti propter afflictiones prudenter timendas, tunc sive cætera desint, sive non desint, non erit omittenda: vel enim desunt alia incommoda, tunc hoc ipso non erit ratio omittendi; si desunt comoda; pariter non erit omittenda, eo, quod propter cruces & afflictiones, proinde, etiam propter defectum commodorum Religio, ut dicis, omittenda non sit. Proinde sive cætera desint, sive non desint, nunquam erit opus deliberantem esse sollicitum, ut consideret incommoda temporalia alicujus Religionis, cum incommoda, quæcunque sint, potius appetere debeat. Quo quid ineptius: nã tu nimium a Candidatis exigis, & quia nimium probas, nihil probas.


Quam vero tibi in hac tuorum verborum expositione nullam faciam injuriam, patet ex adnotatione, quam in tuæ opinionis confirmationem subjungis. Postquam enim referebas doctrinam Lessii de statu vitæ deligendo, ubi asserit, Religionem etiam ob bona naturalia commoditatesque temporales tanquam rationem secundariam amari posse; si adnotas, gravissimus, si DEO placet, Lessii censor, & ultra anecdota tua magnum aliquid audens: *Hæc doctrina, inquis, licet speculative vera sit, nihilominus tamen ipsa praxi raro periculo & imperfectione caret.* Ridicule profecto: in alieno choro saltas bone vir; parum perite:
Quid

Quid enim? quem tu tandem candidatum novisti, qui præter rationem primariam & supernaturalem obsequii Divini & salutis æternæ, non etiam saltem ut secundariam, aut saltem, tanquam conditionem, *sine qua non*, etiam commoditatem aliquam & solatium temporale spectaverit? vitam rebus necessariis non destitutam, vitam tranquillam, a genio suo & propensione non abhorrentem? Tu ipse dic, quæso, erasne Ordinem Sancti Benedicti ingressurus, si jejunia æterna tolerare, si nudipes incedere, si nulla in eo naturæ commoda, si mera incommoda, si meras cruces & afflictiones eras inventurus? Quid illos damnas, qui horrore jejuniorum, aut solitudinis, aut diuturni chori, aut grossi cultus, eremitico, Cartusiano, aut Cappuccinico instituto relicto ad tuam vel similem Religionem se conferunt? Atqui tales inter motiva temporale quidpiam & naturale spectant, commoditatem videlicet illam, qua sunt potius in tuo Ordine, quam in illis alteris fruituri. Si dicas temporale spectare non propter se, sed propter supernaturale, ad quod sibi convenientiorem hanc vitam, quam illam austeram existimant: recte hoc: Atqui hoc ipsum est temporale aliquid, ceu rationem secundariam: aut rationem, *sine qua non*, spectare: Si enim propter se spectarent, tunc ea non erat ratio secundaria, sed primaria futura (quanquam in aliquo intellectu temporalia etiam propter se sine omni periculo & imperfectione positiva spectari possint, tunc scilicet, quando ita spectantur, ut per alium actum aut referantur ad supernaturale, aut amore tam subordinato amentur, ut possint referri) atque si nescis, nonne datur amor ordinatus etiam sui, honestus utique, qui ordinatus? igitur & amor ordinatus atque honestus commoditatum sibi convenientium.

Imme-

Immerito proinde cavillaris virum (cui si te dixerō nullo genere comparandum vir, qui in omnibus pure quæras Deum non, indignabere) immerito, inquam eum cavillaris, dum aliquibus in locis dicit, *in consilio vocationis non attendendum victum lautiozem, splendidiorem amictum, majorem vivendi commoditatem, non ingrediendum ob spem promotionis futuræ, vel appetitu majoris libertatis, aut in gratiam amici; dum contra in alio dicit, vocationem posse esse a DEO, licet concepta sit ex causa temporali tanquam motivo secundario; Hic tu vir Doctozum alpha sic illum fugillas: Eum vix non ludere cum pueris, dum modo suadet, modo disuadet, modo limitat consilia, modo non limitat, modo rationem tanquam gravem proponit, modo iterum eandem subtiliter enervat: Elegans profecto crisis, & inter nuces, queis pueri ludunt, merito abjicienda. Quam difficile est agere cum homine, quem assidue oporteat jam officii, jam intelligentiæ admonere! atque identidem aberrantem iterum atque iterum in orbitam revocare! Molestam sane sustineo provinciam, nisi mihi inter seria quandoque ridendi copia præberetur.*





CAPUT XVI.

Digressio parabolica tarditatem Melliti exponens.

STruxerat Vir Religiosissimus canalem rectum, æquabilem, aqua placida, tranquilla, perspicua decurrentem; nullis scopulis, syrtibus nullis, nullisque cæcis voraginibus ad naufragia comparatum. Hic teneri quique, primaque nondum tincti lanugine adolescentes securis ultro citroque velificabantur lembis, facillimo, atque cujuslibet etiam imperiti manu tractabili remigio. Labebantur innumeræ per amænâ malaciâ, undasque per se ferentes innocentium animarum raticulæ, quæ lustratis jam his, jam alteris ripis, nusquam fallente cynosura ibant secundis ad sua vota velis, naviculamque levissimo labore perfunctam portuosiss, qua libebat, subducebant litoribus, alia atque alia his atque alteris statione in qua beate degerent, delecta. Cum ecce tibi! celox mirabili compage contexta, puppi proraque carens, nisi quod longissimum eminebat rostrum, præferatum & acre, torvum quid & ferale in turbam navigantium tuens: porro structura cætera mirabilis; parietinæ & latera nodosa quercu stipitibusque duris eductæ, sed adeo parum firmæ, ut vinculis aut nullis, aut loco non suo insertis passim hiarent omnia, rimisque omnem partem patentibus,
non

non cohærent summa cum infimis, non cum postremis anteriora: vela, aut lacera, aut ex antiquis confarcinatisque laciniis telarum instar araneorum explicata quidem, sed ne ad levem quoque anhelitum perferendum constantia. Ipse porro Navarchus longe spectabilis in omnes intentus partes, magisterium navis strenue capebat: vox late personans atque si auræ deessent secundæ, ad implenda etiam vela, propellendamque machinam anxie in subsidium vocata; & antecesserat celeusma ingens horrificum, quo non tantum litora, ripæque fluviali, juvenumque turba illic apricans exterrita, sed vicinæ late terræ, viri fœminæque, & quidquid est hominum longissime quoque dissitorum, velut ad bellum Deorum arrigebatur. Turpa cunctis e partibus monstrum visura accurrerat. Structuram navis, ut sunt varia hominum sensa, pars probabat, pars præsentius studiosiusque intuita, in specie magnifica robor amplius requirebant, pars ob ipsam structuræ molem ad tantas alveoli angustias minus proportionatam, majus in architecto judicium desiderabant: anxie omnes sciscitanti, Jason aliquis illa, an quis alius e numero semideum heros veheretur: Vellus aureum, an crines Junonis, an quas alias merces Atlanticas ex orbe ignoto adferret: an prædis potius agendis, exterrendisque, quæ illic commearent, cymbulis destinata. Ingens omnium expectatio. Tandem e litore subducta cursum videbatur habitura non improspere, & aspirabat, quam rector anxie captabat, aura: rimæ quoque arundine, exsuccis foliis, paleisque ac centonibus, quæque alia suppetebant, diligenter obstipatæ: cum ecce tibi acta in vertiginem navis (clavo enim & gubernaculo destituta erat) in mediis, alioqui innocentibus, adhæsit aquis. Risus continuo aspectantium ingens, male de cætero ominantium. Sed arduo tandem labore molitus navim Magister vix aliquot passuum spatio promovit: rursus illuditur, atque hinc funibus vectibusque eruta mox in aliam atque aliam Syrtem vadum-

vadum-

vadamque impingitur. Aderam & ego spectatorum e numero, qui quod dudum fore suspicabar, evenisse cernens mihi in sinum ridebam, & bonum fore factum credebam, si mature receptui caneret. Sed en tibi interea navis alia tacitissimo labore perfecta laboranti priori, quæ mater erat, in subsidium venit. Strepitus & vociferatio, quæ antea prægrandis fuerat, socio addito vehementer valescebat. Opem uterque contulerant, incredibili adversum innoxias undas luctamine: verum navigatio nihilo felicior, jam hac, jam illac impingebant, jam explicare se, mox iterum implicare, nullo locorum etiam in oculos incurrentium prospectu: cum interea litus omne turbari, comæatio fluvioli intercipi, tumultus cieri nullo operæ pretio. Ergo impetum sumsi hominibus adeo misere luctantibus ire suppetias. Pharam, quam poteram opere acceleratissimo construxi accendique? lumen illis, qua tenderent, qua appellarent, qua alveum exactius pernoscerent, sustuli; anhelos sudoreque perplutos ridens simul miseransque suscepi, hoc unum amice admonens, ne quandoque, si quid ejusmodi tentarent, gubernaculi obliviscerentur.

Agedum, quo hoc ludicrum spectet, satis, ut arbitror, perspicis Mellite: Plana & illimis est, nullisque perplexitatibus impedita doctrinæ Soterianæ defluxio; prospere, jucundeque, si dexter fuisses, in ea decurrere poteras; nunc autem nescio, quo fato factum, ut in singulis prope verbis, velut totidem vadis adhæreas. Legeras, *in consilio vocationis Religiosa non attendendas lautitias, splendorem commoditatesque majores*: Hic equidem belle, tranquilleque tua navicula processerat. Mox tamen, quæ sane culpa erat non nisi tua, in alio hæres illisus loco, dum ait *vocationem posse esse a DEO, licet ex causa temporali tanquam motivo secundario conceptam*. Hic impingis, hic figeris nulla ad promovendum suppetente vi. Quam hæc

hæc improspera navigatio! En habe Pharam, quem tibi toties jam accendi. Et hoc & illud (verbo) utrumque sapientissime circumspexitissimeque dictum: atque si res esset obscura, si non in oculis omnium posita, si non ex ipsis proferentis vocibus manifesta, nihil equidem implicationem mirarer tuam: at in re adeo liquida quid, quæso, tricaris? & hoc, inquam, & illud verum verissimum: illud: *non attendenda in delectu vocationis motiva naturalia loco prinripe, ac primo: motivum quippe princeps & primarium, omnium confessione debet esse Deus: verissimum & hoc: in subsidium motivi principalis admitti posse rem temporariam ac naturalem tanquam argumentum secundarium ac impellens:* Quis, quæso, Theologorum (quos tu quia in postremis habes, in consilium non vocasti) isthoc inficietur? negas tu ista, ignarus, credo, quo tua opinatio evadat: omnes hæc falce virtutes morales succideris; actus humanos ex honestate naturali profectos, e numero virtutum excluderis; virtutes Philosophorum inter vitia deputaveris, denique quotalis oratio (præter mentem scio tuam) spectare videtur, unam solamque Dei caritatem extra periculum & imperfectionem posueris. Vide, quo ruas, quo forte nunquam cogitaveras, gnarus censurarum Theologicarum: hoc tibi hic in aurem: quæso altiora te ne quæsieris, neque ejusmodi quæstionibus te implices, quas in tuis anecdotis solutas neutiquam invenies.

Cæterum dixeram tibi supra, ea ratione, qua quis semetipsum ordinata charitate diligit, etiam ordinata cura sectari temporalia naturaliaque commoda posse. Atque ut tibi plenam hujus rei doctrinam edisseram, sic habe, hanc ipsam esse potissimam deliberantis curam, ut statum talem eligat, qui genio, ingenio, valetudini, viribus, propensionî deliberantis convenientissimus sit: ut prudentissime Soterius, omnesque, præter te, animarum directores. Idem alio loco sic docet: *Licet ex tot statibus unus præ alio in*

se melior & perfectior appareat, non sequi tamen, quod illum continuo sine speciali Dei ductu eligere possimus: Illud prius expendendum, non quis status ratione sui, sed ratione deliberantis melior & accommodatior sit: Alias facile fieret (huc aures quaeso) alias facile fieret, ut importabilia quis & viribus suis majora in humeros assumeret: Sic aeger medicinam non pretiosorem in se, sed suae necessitati convenientiorem eligit. Verba profecto longe alia, quam tu tuleris, censura digna. Quaeso te, nonne & matrimonij electio debet esse a DEO? cum & hic sit status, ad quem plures vocantur: Quis tamen virorum de industria uxorem malit rixosam, turbidam, asperam, profligatam, quam aliam pacificam, tractabilem, modestam? Atqui si hoc commodum, quod utique naturale est, ac temporarium, deberet ex consortio motivorum excludi; Si nullo respectu commodi hujus temporalis, sed unice propter Deum uxor eligi, quid fieret? hoc videlicet, non debere uxorem bonam praemala in votis esse, sed utramque aequali animo expetendam, imo duriores illam & intractabilem praecommoda & proba fore exoptandam, quandoquidem si pure quaeras Deum, hoc potius expetes, quo ei per fructus patientiae uberiores gratificari poteris. Vae maritis! similiter non expetendum officium quaestuosius aut honoratius praeminus quaestuofo & honorato: non magis ab itinerante viam bonam, quam malam, & alia ejusmodi sexcenta, quae tu te ipse, quam sint ridicula, si vir es, palpas. Unum pro complemento: Quaero, quodnam habueris motivum edendi anecdota? anne pure Deum? atqui expetibilius tibi erat, latere in obscuro, defugere claritatem nominis & Deo sacrificium humilitatis facere: at at fieri poterat, ut ea pro tua humilitate edideris. Sic credo.

Vides opinor, te parum e ratione considerationes Soterij accusasse. Clama, ut vis, esse frigidam & ineptam;
latis

fatis enimvero calorū Solutiones tibi excitarunt meæ. At vero quid est, ut eas tu frigidas & ineptas apelles? nisi forte illas tantum objectiones aptas & proponendas contendas, quæ graves aut gravissimæ sunt & maxima consideratione dignæ. Verum has tu pejus odisti. Si enim has leves & futiles adeo graviter fers, quomodo alias graviter prementes tulisses? Quid igitur tibi faciam? Quæro, vel graves objectiones ponendæ, vel leves? leves exsibilas, & ineptas frivolasque appellas. Graves tanto amplius exhorrescis, tanquam ad animum ab Religione avertendum natas: Quid ergo? nullas credo vis. Ehem! næ tu mihi gratiosus deliberantium director, qui palpare eos potius & consopire, quam ad intuendas in se Religionum difficultates condocere facere, atque excitare quæras. Tali direttore profecto, si deliberans essem, non uterer; qui pœnitere volunt, utantur.

Satis jam tandem, fatis umbras Mellito tam molestas discussimus, propositiones quo sensu accipiendæ sint, ostendimus; Larvam, quam ijs Mellitus induerat, monstruosam illam & fædam, atque imperitis terrendis comparatam detraximus, scommata extudimus, scrupulos exemimus, querimonias lenivimus, quid super est? Aliquid sane fædum & abominandum. Quam vellem æterna sepeliri nocte fædum opusculum! cujus nisi hisce oculis vidissem, facilius certe credebam cervum volantem aut Hyppocentaurum, quam Virum Religiosum bajulum extitisse. Vulgata res est, manibus teritur, ut jam porro, nisi ignominie ipsi suæ Jesuitæ silentium suum obstetricari velint, æquo animo patiantur, necesse est, nonneminem intercedere vindicem.



CAPUT XVII.

Contra Nepotulum Melliti, id est
Libellum secundum Anno 1721.
editum.

Mellitius in scribendo pri-
vilegiatus.

VENIO ad secundum Libellum, quem Mellitus dissimu-
lato nomine sub persona Petrini Societati JESU
universæ longiori meditato velut monumentum erexit.
Bellum sane opusculum, in quo illud innocentissimum &
venia dignum, quod pateat Melliti esse progeniem,
Quis enim hoc cognito jam vel miretur? vel indigne-
tur? vel ea, quæ ibi proferuntur, credat? Habet hoc
Mellitus privilegium, quod alij nonnulli ejus fursuris,
ut detrahere famæ non possit: Cur? nemo credit. In-
opia judicij, efferendi, quidquid venit in buccam, Passio
omni ex parte suis se cornibus prodens, Cura professa con-
quirendi centones & mendacia quæque, umbræ & phan-
thasæ meræ, tum & malitia vecors, omnia in malum in-
terpretandi, ex optimis principijs conclusiones ridiculas
colligendi, denique anxium studium e rosis passim ac flori-
bus


bus exfugendi virus, præterea notæ illæ cantilenæ impudentiarum, insaniarum, scandalositarum, vertiginositarum, & similes, quæ sine numero decantantur, Hæc, inquam, & talia (quis putaret?) loquentem a scelere & flagitio excusant, ejus innocentia patrocinantur, adeo, ut, cum omnia agat ad famam denigrandam, nihil minus tamen agat, quam denigret: quia nemo credit. Loquere, Melite, scribe, confarcina, buccina, quidquid vis; ut conscientia tua consulas, hoc tantum facito: Nomen tuum adde: Sic scribo, ut agnoscaris: innoxius eris: nec læsum se a te quisquam, nec famæ suæ demptum putabit: Cur? quia nemo credet. Præclarum hominis in hac vita privilegium, ut quod nec justis quidem concessum, ipsa sua deerratione consiliisque perversis obtineat, ut peccare in proximum, nec si velit, possit. Ne tu omnium hominum, qui adhuc in orbe terrarum extiterint, justissimus, æquissimusque es, de quo, quantum etiam calumnieris, nemo merito queri, nemo indignari queat, illo unico in te redeunte proventu, ut ridearis & exhiberis. Nunquam ego profecto, qui te potius objurgandum castigandumque susceperam, credebam fore, ut innocentia tuae integritatisque contra, qua vellem, testis & prædicator existerem. Eo me humanitas, quam ex te tamen minime didiceram, perpulit, ut ad illustrandos fumos tuos, qui caput ohnubilant, opportunum ducerem tibi sancto & innocenti homini indui radios, quibus illa fumorum densitas aliquantum illustretur. Aram tibi jam fere condideram, linguamque tuam & calamus admirationi publicæ proponerem, inscriberemque in propatulo hæc verba: *Lingua & calamus Privilegiatus*: Hæc, inquam, propemodum feceram, nisi idem privilegium certis hominum generibus datum scirem: pueris nimirum, stultis, ac graviter morbidis, quibus, ut tute nosti, natura ipsa id præ aliis licere dedit, ut impune, quod libeat, eloqui possint. Te tamen his hominum classibus imputo

minime, novæ tamen speciei hominem te esse, mihi plane persuadeo, ut qui novo plane munitus sis seu a natura, seu ab hominum omnium conventionem privilegio: quod nemo facile extra utopiam adipiscatur. Enge! præclare! Quid erit, quo minus & in me hujus privilegii beneficio utare, scurræque me, qui refellere non possis, appelles, appellabis; licet. Nihil peccabis: nemo enim a te, qui longe atrociora in viros sanctissimos gannias, simile quid in me profectum mirabitur: ingenio tuo tribuet, non aliorum magis conceptuum sæcundo: Cæterum memineris, ab Apostolo interdicti quidem scurrilitatem. Sed illam tantum, quæ ad rem non pertinet, Eph, 5.

Hoc ergo privilegio munitus, ausus es aliquid, quod ne Ajax quidem aut Achilles. Libellum alterum abortisti ingenii tui miserabile specimen, Liceat tibi Mellite loqui, quod vis, liceat viros honestos fuligine aspergere: Clazomenius es, de numero illorum, de quibus Ælianus L. 2. c. 15 Clazomenii quidam, inquit, Spartam venientes, per injuriam & factum, Thronos ephorum, in quibus sedentes jus dicere, & de rebus Reipublicæ constituere consueverant, fuligine resperferunt, Ephori re cognita, sensuque molestiæ presso, per præconem publicum jussere proclamari hoc mirandum: *Liceat Clazomeniis indecore facere.* Habes ergo Mellite, quod horum privilegio gloriare; *Liceat tibi indecore scribere.* Tu sis Clazomenius, ego mallei Spartanus. Tibi sædum, quod liceat; His honestum, quod ferant.

†

CA-



CAPUT XVIII.

Prostibulum libelli secundi nulla
prudenti ratione compositum
aut editum.

A Desdum fœculente non ingenii, sed flagitiosissimæ lycophantix partus! Cur parentem tuum diffiteris tanquam non ex facie, indole, ipsisque unguiculis origo agnoscat tua? Ratio styli, methodi, nœniarum, calumniarum eadem utrobique, nisi quod audacia silentio confirmata plus ausa est in secundo, quam primo. Huene demum minæ, quas Mellite intentabas, evaserunt tuæ? Hæc coquebas consilia cum societati pertimescenda cantabas incommoda? hoc agebas? hoc moliebaris? Egregie sane, luculenterque sponsonem implevisti; Quod viri est constantis, magnanimique, egisti ex amissi. In nullo, quod expectare a te societas JESU poterat, fefellisti fidem, Tene votorum apicem tuorum, & quorum silentio (velut antea dictis) (scilicet offensus es, ex iis, quam quærebas, ultionem ad satietatem cape. Viden', heros terribilis, ut omnes inire tecum certamen subterfugiant, & nominis tui terrore percussi stent attoniti, nihil ausuri contra mutire. Hercules profecto decumanis perfunctus laboribus, Leonum pellibus ornatus ingrederis, atque inter Religiosos parietes trophæum de aliena statuisti fama. Scommatibus centonas, mendacia centonibus alluisti vestem tuæ gloria

triumphalem. Hac tu jam major homine, mundoque conspicuus inter Sycophantas loco non ultimo, imo vix secundo gradiere; reliquorum omnium præclarum compendium. Perge felicibus velificare ventis per calumniarum mephitim, & quo semel adeo inescatus es, odore nares palatumque tuum identidem recrea. Satia te deliciis, quas quæstisti, fecibusque alienis, in quas tu etiam rosas convertis, tota esurie, quantus quantus es, innata. Bonum factum! tibi tandem locum, in quo acquiesceres, esse repertum, Mirarer ego te, qui fumo pascaris, fuliginem & quisquillas, materiamque stramentitiam aspernari.

Sed quid ego hæc viro tam æquitatis studioso? Quid ageret offensus? satisfactionem quærebat, nullam obtinuit; rogas, quem decerni libello Soteriano cupiebat, nondum accensus est; Frustrata dolet injuria. Non jam Soterii, quem fata melioribus intulerunt, causa agitur: Moderatores Societatis, quin Cætus universus in iudicium vocatur, ad pœnam deposcitur; Et vero perpendere jam graves: redarguti, accusati, proscissi sunt stylo publico: necdum satis. Opusculum innocentissimum, ne bilem ciceret, blattis tradidere. Necdum satis. Sannas & probra orbe audiente jacta, ingesta, silentio pertulere. Necdum satis; tanquam & id, quod loquuntur, & id, quod silent, in injuria deputetur. Silentium igitur puniendum erat, & voces, quas rursus punires, exprimendæ. Inglorium enim cum tacente jurgari, atque icus nihil gemituum elicientes in vanum effundere; tanquam indignæ responso judicatæ naniæ, surdaque aure acceptæ lucrefacto contemptu in effundentem redirent. Hanc tu, credo, injuriam per silentium Patrum illatam altero ultum istri libello, ad vocem tandem tuam clamoremque iteratum, eorum animos adversurus.



CAPUT XIX.

Jesuitæ non sunt in causa, quod
Anecdota Melliti non habeant
plausum.

AT mihi alia subit hujus tui consilii ratio. Anecdota, ut scimus, nuper magno strepitu anteeunte edidisti: complosionem manuum, acclamationesque eruditorum continuo orituras sperabas: Et erant, qui os tibi sublinentes locum inter Antiquarios aut primum, aut certe non ultimum tibi præparatum canerent, Mabillonii quoque Germanici (hem ridete! titulo te suffumigantes. His tu cogitationibus gloriosis ebrius, ibas jam super capita eorum, quos tu eruditorum vulgus arbitrabare, sublatoque in immensum supercilio ad gloriæ tuæ aram sacrificium ab omnibus fieri quasi tuo jure flagitabas. Quod cum omnes fere negligerent, atque inprimis ii, qui voci non omnia tribuunt scilicet in varias abisti suspiciones, hos, illos, alios gloriæ tuæ invidos & obtreçtatores putabas: Quo in numero locum principem dabas Jesuitis quos tu ob egregia in eos collata merita tui fore similes, id est sui oblitus existimabas. In quo, quantum quidem mihi de viris veteri necessitudine cognitis persuasum est, te egregie fefellisti.

Scio enim eorum ad opera literaria nequaquam premenda, sed potius pro merito extollenda promovendaque perenne studium, vactum ab invidia penitus animum, alienaque gloriæ tam nihil infensum, ut quam faventissimum. Temere sane hac suspitione abreptus es Mellite:

Quid Jesuitæ possunt contra, quod Planetæ tui non scintillent? quod non magni fiant? quod emptorem rarum inveniant? quid possunt contra, quod opinione tua speque falsus es, atque opera illa decumana non inter cimelia & bibliothecarum gemmas, sed inter volucra & cucullos piperis deputentur? Quid possunt contra, quod in magno corpore parum animæ, tomorum ille numerus nullo numero habetur? Quid illi possunt contra, quod vir ille bibliothecarum devorator montibus ex longo gravidus murem peperit ridiculum? quid possunt contra, quod oculatiores eruditi partus istius patrini esse recusaverint? Quid contra, quod tuam effigiem in fronte tomorum positam rideant omnes, atque in ea id ipsum desiderent, quod vulpes in sterili capite requirebat? Quid possunt contra, quod tomis illis, quos in edito collocasti, ut luceant, olei satis non affuderis? quod ita lampades illæ luceant, ut nemo advigilet? Doleo profectio, quæ mea est humanitas, labores tibi tuos non eam, quam exoptasses, gloriæ messem attulisse: forte nuces cassas & seruta seminasti, e quibus, quod meteres, procul dubio non habebas. Atque erat tanti, ut ad redimendum Mabillonii nomen magnificum quidpiam molirere; sed ut illud cum risu amitteres, tanti non erat. Sed belle habet, etiam utre vacuo natatur; modum tu calles orbem implendi famæ, & qua ingenio tendere non datur, libellorum famosorum ope evadis, scriptor idem & scriptus, lucro utrinque pari, ut & scribens, qui sis appareas, & scriptus, quid alii de te sentiant.

Sed


Sed quid hæc tam libere de anecdotis? cano receptui, revoco, retracto: præclara, egregia, auro cedroque digna anecdota! Quid Mabillonius? Quid Dacherius? umbræ sunt præquam Mellitus: O eruditorum delicia! O thesauri antiquitatum! O sæculi nostri ornamenta! quibus ego comparandis non vindemiolas tantum & messes, sed integra jugera & promontoria collocassem. Egregie: quid amplius ex me desideras, cum tandem adeo concupiscas tua laudari anecdota? feci quod avebas: atque væ mihi ni facerem! vestigia terrent, pænaque tibi ab aliis depensæ: cautus alieno sum verberare, quod ab epistolis tuis apologeticis mihi magnopere extimescendum foret: exemplo meo sapite, quiqui de Melliti anecdotis estis locuturi: cavete vobis: verba ad Bilancem exigite, ne quid sequioris sententiæ de Melliti anecdotis vobis in labia erumpat. Nolite tangere; vitale est; servate Adonidem. Quantum etiam animo aliud sentiatis, id foris ne promite, ni vobis ultorem in caput velit accersere. Sunt quoque hi tomi, ut eorum Author, privilegiati: Vætigal censuræ nullum subeunt: in fronte magnis literis præscriptum circumferunt, privilegium: *Ne qui vituperanto.* Aliud sentias; parum refert: præpollet Mellitus, cujus vel solum nomen mancipatum imperat judiciis omnium, frænum linguis injicit, ex norma Pythagorica *autos epha.* Fateor; malevoli homines, iidemque invidi alienæ gloriæ obtreçant, nihilque integrum, dum non suum, famæ relinquunt. Compatior tibi, mi Mellite, quod eam in te non videas impletam Sapientissimi mortalium Sententiam: *Cor Sapiens in operibus justitiæ successus habebit.* Eccl. 3. Effatum alias infallibile, quia Divinum; at fieri potest, ut Rectus careat supposito, desitque aut cor, aut Sapientia, aut utrumque: ego neutrum puto: fato adseribo, quo sicut nonnulli quasi lege ferrea adacti sunt ad famam alio-

rum


rum lacerandam, ita pari mensura, non absque divino iudicio, fama, quam appetiverant, excidant. Expertus es Melite, & ni aliam Dii mentem dederint, amplius experiris,

Hoc tibi, ne tandem putes, adeo tomos tuos pili fieri, ad solatium dicam, esse quod omnibus, qui eos pervolvunt, mirifice placeat, quodque omnes libentissime & avidissime legant (audeo dicere: libentius & avidius, quam in quoquam alio Authore) quid illud? vocabulum heu sero nimis expressum! vocula: *Finis vel explicit.* Heu! quam tu præclare de charta, de librario, de typotheta, de propola, de emptore, de marsupio meritis fuisses, si auream hanc voculam post aliquod folia collocasses! Sed euge! progredere fatigare prælatyposque; erit, cum olim in scriptorum catalogis, tacita operum tuorum conditione, hoc saltem scribatur, quod tomos condideris. Si quod tamen ex me monitum capere Tomigraphus non dedignere, hoc moneo, ut in eo potius elabores, quo res tua semetipsam & te, quam epistolæ apologeticæ commendent. Quam miserum enim laudis argumentum, quod argumentis probari reflexis indigeat! nunquid hoc rationabile? Aliquid tamen & mihi debes, qui si qua forte tua anecdota necdum innotuerunt, beneficio mei hujus opusculi famam fortassis aliquam conciliasse. Hujus inquam opusculi, quod facile intelligis, anecdotum non esse: non est enim ex antiquaria penu depromptum, sed heri natum, non vetera recoquens, sed tua nova commentans; quod si libuerit, tuis anecdotis, ut facilius veneant, apprimi, appingique curabis. Sed de his satis.

Intelligis, opinor, nullam isthic ab Jesuitis in te profectam injuriam, ob quam libellum tute secundum edideris, neque suspicari possum talibus te umbris imbutum. Alia certe causa ad hoc te impellere debuit, gravior illa, atque urgentior, qua ad hoc extremum provolvereris, Quæ quæso, illa? Injuria si quæ fuit, tanta non erat, quæ libello uno, quem jam ante edideras, expiari non potuerit: Propositionibus, quas tu castigatum ibas, decuplo asperiores, non mente ambigua, sed plane destinata reddidisti; satisfactionem, si quam habebas exposcendam, nimium quantum cepisti: quæ ergo libelli secundi tanto acerbioris, impotentiorisque in lucem edendi causa?



CA-



CAPUT XX.

Rabies Melliti in Almam Societatem JESU, libelli secundi causa.

HÆc profecto, & vix alia causa, Odium videlicet tuum, furorque, quo non in unum tantum, eumque tantæ notæ virum, sed in universam Societatem JESU plane ad rabiem exarsisti, eique male de industria facere quæsisisti. Quam bellus tu Religiosus! qui si alium quempiam in sacro Tribunali penitentium similibus consilijs ebrium nancisceris, omni ope dehortari, atque ab tali cepto avertere debueras, metu videlicet scandali, perturbationisque publicæ, quæ inde erat in Religiosorum animis oritura. Atque ego certe, si inter mei similes talia in quoquam consilia deprehenderem, eum ego non tantum ab rectis moribus alienum, sed paci etiam publicæ perniciosum, altiorisque, quam opus est indicare, malitiæ suspectum putarem. Tu Religiosus cum sis, & eidem jugo Domini convinctus, pacem, & charitatem, moderationemque animi ex instituto professus, hæc in animum inducere, huc vecordia prorumpere nihil pensi habuisti. Vide, quo te cæcus impulit furor, quo incogitantia, ne quid deterius dicam, præcipitavit.

In-

IncoGITantia? quæ autem esse potuit tot annorum spatio, quo hæc talia multo sudore longoque proposito comparasti? Vah pudor! Me quoque talia vel cogitasse puduerit. Tunc Religiosus? Tu Ordinis Sancti Benedicti, Sanctissimi Patriarchæ? tu talium Majorum hæres & succedaneus, qui non maledicentia, non rabie publica, sed virtutibus præcipue caritatis & mansuetudinis ordinem vestrum nobilem omnibusque amabilem fecere, tu ejus Cætus collega & alumnus, in quo desertis seculi tumultibus (quorum) deserendorum gratia Religionem es potissimum ingressus) Deo totis præcordijs intenderes; facta potius tua ad trutinam, quam aliena vocares; huc delapsus es, ut ab probis quoque secularibus officij sis admonendus. Quo furis? quo tendis? quid moliris? Tu Societatem JESU arrodere: arrodere? etiam infamare, etiam conspurcare, atque sic conspurcare, ut & vetera regerere & nova mentiri, asserere multa, nihilque probare, uno in omnibus elucente argumento, passione tua rabida (quam vocem non ira, quæ nulla est, sed res ipsa de me exprimit) passione, inquam, tua rabida, qua ignarus, quid scriberes, nec Deum, nec conscientiam, nec prudentiam, nec honestos mores loco aliquo duxisti.

Tu Societatem JESU adhinnire? Societatem, quæ quid tandem tibi, aut tuorum cuiquam intulit pravi? Quid fecit tibi Societas, quod converso in eam stilo a privata offensione in publicam rueres? Quid tibi fecit Societas, quæ nec verbo te, nec scripto, nec ullo sequioris animi signo, etiam, postquam ejus decus & ornamentum, virum primarium conserpere ausus es, ultionem de te cepit ullam, silentium unum pro calumnijs rependens? Societatem tuam illam, cujus laboribus & cura, si ingenuæ mentis in te mica superest, & te fateri debes in eo, quod es & habes, educatum, adjutum, ornatum, & ego & alij etiam conspicui in Republica tum Ecclesiastica, tum seculari, viri fateri sine infirmitate debemus; Societatem illam, cujus hodieque sudoribus

ribus

ribus Religiosi Status, quod supplementa, quod viros eruditos habent, magnam partem, si verum profiteri velint, referunt in acceptis. Et vero fatentur plurimi, gratæque, quod eos decebat, mente prædicare non desinunt, nullo quod flagitiosorum est, gratitudinis pudore. Horum turra obstruere, horum conscientiam refellere, horum confessionem oppilare prius debebas, quam in Societatem JESU calamum stringeres. Nihil egisti, promovisti nihil, quamdiu vel in hominibus ratio, beneficiorumque ulla recordatio, quamdiu humanitas aliqua, honestas aut verecundia vigeat. Erunt in cassum clamores, vocesque, quantumvis asperæ, quantumvis impotes & alienæ, quoadusque testimonium extiterit publicum orbis terrarum, in quo ut ut multi sunt bonorum obtrectatores & invidi, tamen & sunt, & erunt multi, ijque meliores, qui fucum sibi quibuscunque calumnijs fieri minime patientur. Age tu porro, quod vis (vis autem, quod boni non solent) clama, scribe, ringere, rumpere; lunam allatras, in solem furis, in vanum furia; stabit, fulgebit, te etiam lippiente, præclara Societas, eritque, quod tu minime cupis, digna, quæ invidentiam, proinde & odium & calumnias patiatur.

Multos hæcenus extitisse scio, qui omni ope, & ingenij & calami, & vocis viribus in hoc nobilissimum Ecclesiæ fulcrum depugnarunt: dolos commenti, criminatio-nes in populo, in Aulis, in ipsis sacrae profanaeque Themidis tribunalibus moliti, impensissimeque persecuti, quid perfecerunt? adhuc stat, agitque de suis adversarijs tanto illustriorem triumphum, quanto acrius fuerat appetita. Hic vires suas invidia & livor, hic calumnia consumpsit. Ego sane cum sæpenumero olim varias orbis partes emensus & legissem multa, plurimaque audissem, omni studio corrosa, compilataque in hanc Societatem probra, forte venit in mentem, ut solet, aliqua suspicari, ne non vera essent, quæ

quæ adeo a multis dicerentur, nonnulla ! diu multumque in mores actusque Patrum pervestigandos intenderam, illud enimvero opperiebar, quid tandem essent omni calumniandi arte homines vocales exsculpturi. Vidi denique, aut subesse nihil, aut paleam pro trabe æstimari, sæpissime id, quod virtuti deferendum erat, in vitij scelerisque loco positum, nugas meras & insanias falsas. Tum repetebam animo, quinam essent, qui Societatis hujus laudibus ante alios obtrectarent: deprehendi homines plerumque aut ignorantes, aliorum præeuntium turbam falsa persuasione secuto, aut certe homines in Religione nullos, aut suspectos, aut frigidos, aut denique moribus non admodum laudatos. Attenderam studiose, atque ita revera esse comperiebam, nullum sanioris judicij, aut vitæ emendatioris virum facile inveniri, qui Societati JESU aut male cuperet, aut eidem inimicum sese profiteretur; Contra bonos probosq; (in quo ad experientiam quotidianam specto) Eidem deditos, aut certe non adversos extitisse. Quod mihi plane signum argumentumque validum erat, magnum esse bonum, quod odio haberi non nisi a pravis posset. Me certe, quod mihi Institutor meus identidem inculcabat, iudicium illud hætenus minime fefellit; bonum esse probumque virum, cui cum Societate JESU recte conveniret. Experientia nimirum diuturna hoc ipsum didici.

Tu Mellite hoc pro certo habe: te, quam hætenus inimicitijs, & injurijs adversum Societatem quæstisti, gloriosam, famamque apud homines probos, longe certius expeditiusque ex fota cum Socijs amicitia fuisse adepturum: Mihi certe hoc argumenti loco indubitati fuisset, aliquid esse, quo te magni facerem, si te placere Jesuitis, tibi que illos placere rescissem, Nunc quoniam adeo te aliena via gradientem comperio, est profecto (quod candide confiteor) est, inquam, quo multa cogitem, suspicer multa, quæ opus non est in medium proferre, Novi ego Ordinis

L

tui

tui viros insignes, quos, quantum memini, omnes cum Societate JESU & concordēs, & plusquam concordēs extitisse, quorum e numero, ut tu quoque sis, tua, mihi crede non Societatis interest,

Legeram de egregio Ordinis S. Benedicti Præfule eodemque S. Ecclesiæ Purpurato Principe Sfondrato, fuisse tempus, quo Societati JESU, rerum ejus fortasse minus gnarus non admodum faveret; sed & illud legeram, cum cum primū Societatem JESU coram & penitus inspicere, adeo eidem deditum, conjunctumque animo ac consuetudine fuisse, ut velut Domesticorum e numero cum Jesuitis quandoque agere, paradisum in eorum convictu suum habere, demum neque vivens, nec moriens a Jesuitis separari sustineret: cujus viri prudentia & ingenium cum eo sit apud me loco, quo cujusquam, ita me in Religionis exillimatione firmavit, ut esse putem nullum, qui non ejus exemplum ante vim calumniarum tuarum sit habiturus. Ita enimvero judico: Homines plerumque vitiosos, hæreticos, aut frigidos Catholicos, Atheos, aut invidos, quibus lux Societatis dolet, esse ipsius hostes: præterea ambitiosos, qui nescio quam adorationem ab ipsis expectant: aut demum alios, qui res eorum ignorant, aliorum persuasionē inductos, vel denique eos, quorum operibus contrarij sunt.

Alterum, quod mihi fidem omnem adversum calumnias Societatis ademit, est ipsa, quam ejuscemodi genera plerumque tangunt, materia: Quid enim eidem exponunt? Plurima, quæ dudum ab summis Pontificibus approbata & confirmata sunt? plerumque id, quod virtus est, aut res levissimas aut unius alteriusve hominis factum, aut res imaginarias, aut alia externa, ut beneficia & favorem Principum, aut bona fortunæ &c. aut denique omnia, quæcunque faciunt, ut e. g. si Jesuitæ res suas ad vitam tolerandam ne-

cessarias pejus administrarent, pessumque ire sinerent, decoctores, dilapidatoresque appellares. Si curarent, avaros & insatiabiles. Si pro se loquerentur, impatientiae, & ultioni; si racerent, diffidentiae conscientiaque eras daturus adeo boni viri, quo se vertant, nesciunt, nisi ad eum, de quo idem in populo murmur, dicentibus quibusdam, quia bonus est, alijs contra, non, sed seducit turbas. Quid his fabellis facias?

Illud vero etiam contingit, ut decora atque ornamenta, id est viros e Societate eminentissimos clarissimosque calumnia premit: cujusmodi e. g. est Cottonus, Galliae lumen sane clarissimum, quem tu homo excerebratus affare audes, aliosque ejus similes viros, omni exceptione majores, quorum facta & fama magnam orbis partem impleverant. Hos tu homo simplex perfricare audes, tanquam non esset virtus ac fama tuis nanis major: Quo in genere crassum sane erioem commisisti, in Soterium, virum adeo clarum tua probra jaciendo, quem & multi hodieque superflites, qui quantumque vir fuerit, noverunt, & monumenta loquuntur: in quo si putabas te ejus gloriae posse labem inurere, praeterquam quod hoc ab Religioso expectandum non erat, hebes profecto fuisti, qui alia memoriae monumenta tuis posse putabas garritionibus obliterari. Nonne continuo ut tuas gerras homines prudentes legerint, ita secum ratiocinentur? tales ac tantos viros hic scriptor impetit: quid igitur in ejus sensu atque ore integrum, sanctumque manebit? Si non alios habet, quos calumniatur, interest Societatis omnes habere tales, quos ipse calumniatur. Ita secum prudentes rectissime cogitabunt, quo simul fidem tibi in reliquis omnem detrahent.

Enimvero si ejuscemodi consilium, quod calumniantium est, mihi exequendum putarem, nequaquam ego tam simpliciter negotium administrassem: Non talia protulisset, quae nemo prudens serio credere, aut sibi penitus persuadere valeat. Non ad ea vertissem vim, quae sunt in

Religione firmissima & invicta, sed ea potius tenderem, qua minus erat adversum mendacia calumniasque praesidium; Nunc tu Mellite talia cavillaris, talia strepis, quæ sibi prudentum nemo persuadeat: e. g. appellas Jesuitas Christianos idololatrias: Quis tibi mentem hæc loquenti adhibeat? garrere dicent in re evidenter falsa: quam vel audire piæ aures averferentur. Quis credet viros ad Ecclesiæ defensionem, propagationemque, tum ad evertenda non tantum idola, sed etiam hæreses, sed etiam mores pravos his postremis temporibus singulari Dei providentia electos, atque submissos; illos, quorum valde ope atque constantia murus Ecclesiæ fuit adversum errores, atque infundentem se novissime Jansenianam perfidiam hucusque defensus; illos, qui omne suum studium ad commendandum proximo, ad Dei cultum amoremque promovendum, ad noxas & scelera profliganda ex instituto confecerunt, illos tu idololatrias? simplex, cui persuadebis? quis credet? Illos maria immensa emetiri, pericula adire præsentissima, famem, sitim, frigus, nuditatem perpeti, a notis & amicis divelli, ad homines toto orbe disjunctos, nulla casuum incertissimorum cura proficisci, scilicet, ut in remotissimo mundi angulo idololatriæ cultuique dæmonum dare operam possint, animamque suam, quam scilicet in Europa æternis ignibus addicere nequaquam poterant, in Indijs & Sinis post tantas vitæ ærumnas amittant, Næ tu simplicissimus es, qui talia posse in homines vel medios cadere aut ipse credas, aut credi ab alijs posse tibi persuadeas. Quod si credere non possunt, quid igitur credent? te calumniatorem violentissimum extitisse. Quid amplius in defensionem suam vel optare præsentius, vel excogitare poterat Societas? Satis utique tuo loquendi excessu defensa est, nisi fors nescias illud vetus ac tritum: qui nimis probat, nihil probat.



CAPUT XXI.

De Rebus sinicis nonnulla falso & inepte garrit Mellitus.

Verum quia mentio rerum Sinicarum semel illata est, & de his homo imperitus nonnulla garrit, inter est memorare aliqua. Eminentissimi Turonij epistolam comminiscitur, sperans homo Davus, se posse fidei omnium impune ludibrium facere per talia, quæ ob locorum distantiam nemo posset refellere. Mi bone non ab Turnonio, sed ab Turnonij phantaso in tuo talium facto cerebro existente, non ex Sinis, sed ex Utopia scripta est, quam recitas, epistola, calamo, ut in alijs multis, sic & in hoc mendaci & calumnioso. Putasne homo acutissime, te sola epistolæ recitatione (& scilicet, quod eam tu recites) fidem viris integris facturum? Homo in fingendo locuples, idemque simplicissimus, qui putes contra Ordinem adeo præfulgidum fabellas tuas, mox ut eas pepereris, tua unius auctoritate posse ad fidem hominum convalescere. Quid si talia suppetant documenta, non commentitia illa & ex cerebro nata, sed plane vera, sinceraque, quibus aliam longe Turonij mentem atrectare possis. Extant hodieque in Archivo Pekinensi non obscura Eminentissimi Turnonij ad-

versum Patres Pekinenses egregiæ voluntatis documenta. Omnes ille, quod tu parum versatus ignorabas, omnes ille subjecerat anathemati, qui Bullæ Pontificiæ in materia Rituum cunctarentur deferre; Idem tamen Patres Societatis Pekinenses omnino inculpabiles declaravit. Quæ tamen quia invidiosa sunt, prudentia (qua tu nusquam uteris) obiter transeunda persuasit.

Vitam tu Patrum in Sinis degentium cavillaris, mollem, delicatam; miror, quod te necdum impetus ceperit, ut ad vitam ejusmodi vel ipse degendam aspirares, aut certe, ut, quam Jesuitæ degant, coram inspiceres: In tanto Imperio quod Europæ universæ haud multum amplitudine sua concedit pauci admodum sunt Patres, numero, ut accepi, non amplius 40. qui per amplissimam eam vineam dispersi Evangelium prædicant ea provinciarum partitione, ut nonnulli spatium sibi contributum habeant tantum, quantum integra sunt in Europa regna. Hinc collige, quantum ipsis vel vacare delicijs, vel sectari mollitiem in tanta messis affluentia liceat. Et vero non ab otiosis aut mollibus ille fructus rei Christianæ hæctenus in Sinis extitit, qui ultra quadringenta Christianorum millia, quos Jesuitæ soli procurant, completatur; atque hos ab hominibus adeo paucis in Fide erudiri, confirmari, opus, credo, est non hominis inter rosas & delicias habitantis. Non illic bone vir, fundis & jageribus res Jesuitarum stant; eleemosynis piorum hominum gratiaque sustentantur, nullis ex Evangelij sudore, nisi æternis, mansurisque solatijs.

At sericis vestiantur: ita sane: hoc autem perinde est, atque si Jesuitis Europæis objicias, quod lana vestiantur; homo in Historijs & moribus gentium adeo versatus, nescis sericum in Sinis eo pene esse loco, quo lana in Europa, certe

com.

commune hominum non plebejorum vestimentum, quo & alij Missionum administri plerique utuntur.

At sanguinem in Sinis necdum fuderunt: Quid inde? lege historicorum alpha, lege Historias Jesuitarum; quas sanguine videbis potius, in causa Evangelij fuso, quam atramento conscriptas; mihi & suppetunt commentarij eorum nonnulli, & cum voluptate, admirationeque leguntur; Homines videlicet molles & voluptuosi in omnibus fere, quate Barbaria tenditur, partibus vestigia cruentarum mortuum pro Christo & virtute toleratarum reliquerunt. Sanguinem in Sinis non fuderunt: Quis alius fudit? Quid talia moves, quorum adeo peregrinus es hospes? Natio hominum sunt Sinæ, queis non alij magis famam aut speciem omnem crudelitatis abhorrent; humanitate g'oriantur. Sanguinem non fuderunt; at ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres, & famam inediaque ad exitium prope supremum, at falsa judicia, at opprobria, profusaque exilia pertulerunt. Neque longe ab Sinis distat Japonia, in qua demum, si sanguinem Jesuiticum sitias, ad satietatem, invenies.

De Apostatis quod ais, mentiris rabula impudentissime, cum satis constet, ne ullum quidem Jesuitarum in Japonia fuisse, cui constantia ad extrema defuerit. Tu tamen homo lippe, duos nominas; herele magnum quid in tanto confessorum gloriosissimorum numero! sed & hoc mendaciter. Addis autem & cetera, quod quid volebas scarabee, nisi votum declarare tuum, quo avebas plures tibi suppetere, quos recenseres, recensiturus procul dubio, si suppetissent? Quo vel ipso Societati JESU honestum (at præter mentem tuam) perhibes testimonium: Et vero sint Apostatæ, Talis & in Collegio Apostolico. Quid mirum non

non habere Apostatas, qui Apostolos nullos habent? I porro, & experire tu, qui labores virorum Apostolicorum molles & geniales; tuos autem intra cubile graves & decumnos arbitraris: Homo magnus & plane Apostolicus qui, quorum sudoribus extremæ partes madescunt, eorum tu vitam protervo dente sis ausus arrodere; atque ad Indos ac Sinas, quo alij non sine sexcentis vitæ periculis perveniunt, tu homo velox facillimo itinere, calumnia & ignorantia pertingis.

Piget alia referre, quæ ejusdem sunt furfuris: obiter illud, quod ruditas tua de Crucifixo meminit, ceu erubescant Jesuitæ Christum, & hunc Crucifixum. Sonare audiverat aliquid homo ad omnia incogitans: Quid autem in re sit, ignorat: effuit tamen, utut ignoret. Docebo hoc imprimis, ne, quod ignores, temere effutias: deinde quid sit moris in Sina. Homines sunt Sinæ honestatis adeo studiosi, ut omnem omnino hominis denudati speciem aversentur, probrumque sibi offerri putarent, si imaginem minus publice velatam oculis usurpandam acciperent. Hujus moris non ignari viri Apostolici, & crebra docti experientia, subtrahendam oculis adeo teneris offendiculi cujuscunque occasionem, sunt arbitrati; igitur vel crucem solam nonnunquam, vel certe effigiem Crucifixi ea forma, qua apud *Lucam* Urbem Italiae colitur, vestimento velatam venerationi hominum exposuerunt, hodieque exponunt locis nonnullis, ubi scandalum tale timetur: Cæterum alijs in locis eminet æque species illa Crucifixi, quæ passim in Europa. Atque hic summa criminationis tuæ, quam tui similibus, id est ignaris proponere, non scientibus debebas.

Cæterum, ut & officijs tui commoneare, quid huc, quæso, causa Sinensis? nempe sicut pugnus ad oculum, aut nodus ad scirpum. Sed scilicet, ne qua parte calumniandi materia te deficeret, ad Indos quoque & Sinas, quo alij mercibus comparandis enavigant, tu scrutis, quisquilijsque conquirendis, mercibus proprie tuis, abisti. Quam longe satius prudentiæ tuæ (quam semper in te requiro, nusquam invenio) satius, inquam, conveniret, ut tricas istas quarum Judex tu aut arbiter nunquam futurus es, prudentioribus Supremæ Curix administris dirimendas, finiendasque relinqueres! homo putidus illud etiam, quod sibi Sapientissimi Directores nunquam ne per umbram licere arbitrati sunt, ausus, ut tales viros, tam bene semper de Ecclesia Deique causa meritos, Idololatrias vocitares: audacissimum linguæ prostibulum, & omnis Religiosi officij, humanitatisque oblitum! I tu Romam, si tanti est, & quære ex Viris Ecclesiæ DEI Rectoribus, quid JESU Societas & olim (quæ alioqui in Bullis Pontificum legere potuisti) & hodie in causa propagandæ Fidei, ac speciatim in causa Janseniani colubri præstet: I, quære, quinam sint, seu in Gallia, seu in Belgio, seu alibi terrarum, qui præ Jesuitis murum se opponant pro Domo Dei: quære ex ipsis earum provinciarum Episcopis, quære ex fama & judicio communi, atque ex ipsis, si libet, eius sectæ consortibus, quinam sint cis ante Jesuitas extimescenti: Hic scilicet scopulus, in quem ut aliorum antehac Ecclesiæ hostium, sic & istorum rabies identidem illiditur: Hæc spina in oculis, quam si revellerent, tum acutum se continuo visuros, libereque in scopum suum collineaturos arbitrantur, Magnam tu hujusmodi furibus gratiam habes, quod eos in proscindendo Jesuitas tam egregie adjuvas: nihil sane ijsdem optatius, quam talem sortiri signiferum atque tubicinem.

Sed sistamus hic aliquantulum ; Audin , Mellite ? Quid tu Cremslij ante menses aliquot ? quid e sacro pul-
 pito garrivisti ? Quid tuus gladiatorius, ille typhus : *non
 veni pacem mittere , sed gladium ?* Quid suspectæ pro-
 fligatæque causæ (scis, cujus) defensi ? Quid Theologa-
 stismi tui ampullata crepatio ? Quid pronunciata, ab sola
 ruditate & imprudentia tua excusationem lenimentumque
 mutuantia ? Audin' Mellite ? Quem tu gladium Heros
 eduxisti ? in quos eduxisti ? pro quo eduxisti ? coram
 quibus eduxisti ? quam averso Auditorum honestissimo-
 rum vultu, quo sibilo, quo populi murmure eduxisti ?
 Videb' Mellite quam locuples mihi argumentum suppedi-
 tet, dicta tua, modum, intellectum judiciumque tuum, atque
 universam, qua miserabiliter luctabare, orationem, enucle-
 andi, deartuandi, anatomizandi ? Quam ego te volvere,
 involvere ! sursum deorsum, atque in omnem partem ver-
 sare ! Quæ nomina, quas censuras, quæ argumenta, quas
 conjecturas expromere ! Quam denique pœnas de te lucu-
 lentas expetere . Hæc ego, si tui similis essem ; si Religio-
 nis tuæ sanctissimæ rationem talem, qualem tu Societa-
 tis IESU habuisti, habendam putarem ; Hæc ego,
 si gladium plumbeum tuum mihi omnino comminuen-
 dum, si non parcendum famæ tuæ ducerem ; sed absit ;
 stabit intra limites moderationis calamus, teque exor-
 bitantem faciendo, non sequetur scribendo. Casti-
 gationis summa sit votum, quod Divæ Prudentiæ pro te
 facio : Victimam Sacri Judices, quibus id facile permitti-
 mus, immolabunt. Tu cura Mellite, ut in posterum lauda-
 bilior consilio Crucifixus assistas, atque si sapias, linguam in-
 primis tuam crucifigas. Vide denique vide mi Mellite,
 quam caute, cum quanta circumscriptione de rebus adeo
 parum tibi honorificis scribam, præcipue, qui scias, Te non
 tan.

tantum in aliam JESU Societatem, sed in ipsos etiam, quos crucifixoribus annumerasti, Sacri Tribunalis Præsides adeo incogitanter turpiterque offendisse; ne alia, quæ altioris sunt conjecturæ, in medium proferam.

Ut vero, quæ inepte locoque non suo effudisti, plane diluam, erit, ut causa disputationeque de Ritibus Sinicis Sapientioribus relicta, omissis aliorum, qui præter Jesuitas haud sane nulli, Ritus illos secuti sunt, exemplis, insuperque habito Alexandri VII. Pont. M. Ritus illos tolerantis decreto (quorum mentionem nequaquam in tui gratiam; impar enim es; factam puta) erit, inquàm, ut Clementis XI. Sanctissimæ memoriæ Pontificis, qui litem Sinicam omni studio ventilandam terminandamque susceperat, erit, ut hujus æterni Pontificis oraculo potius, quam odio tunc credas (si tamen Societatis interest credi a te) quis Clementis de Societate sensus? refero, quod certa relatione jam olim ab Roma acceperam. Accesserant ad ejus pedes, ut solet, Patres congregati; se suaque Supremo Patri commendarant: Quorum audita oratione, quid Pontifex contra? audi invidia, & quisquis bono alieno dissilis, audi! Patres, inquit, mei, cara mihi semper fuit, eritque Societas pro certo quippe habeo, causam Ecclesiæ ac Societatis ita conjunctam, ut inter hostes utriusque reputem, qui alterutrus extiterint: hæc verba diserta: Hostes Ecclesiæ, iidem Societatis, & qui Societati, iidem & Ecclesiæ. Audisti, quid de idololatriæ summus Pontifex senserit, ille inquàm, Pontifex, qui judicem hujus tuæ idololatriæ egerat: causam ille Ecclesiæ cum idololatriæ, ut tu vocas, communem ducebat? Dextrum, illud Ecclesiæ brachium, quo nomine Societas a summo Oraculo dudum fuit insignita, thuri ad idola adhibenda operam dare scilicet censebat? Verum
quid

quid ego tibi ista, qui omnes, ut ille, de quo Sapiens loco aliquo, omnes tui similes putas, fabellarum scilicet architectos? Lege ejus generis, si livor sinat, elogia & encomia a summis Pontificibus, a Principibus, a Rebuspublicis, a Religiosis Ordinibus, virisque omni exceptione majoribus non tot, quin plura in Almam Societatem collata, quæ si referre sic animus, infinitus sim, atque me dies non ante, quam te in aliena fama proscindenda factoreque ciendo, scarabee, deficiat. Insignis hodieque Martinij e Societate, apud Sinas memoria, qui a multis jam annis, corpore penitus incorrupto, ad stuporem gentilium, venerationemque fidelium perseverat: atqui is ipse erat, qui causam Rituum Sinicorum apud Alexandrum VII. transferat.



CA-



CAPUT XXII.

*Quam nihil curandæ Melliti, ejus-
que similium in Almam JESU Socie-
tatem calumnia.*

Verum, ut ad id redeam, unde devolutus sum, id ajo, calumnias in Societatem ingestas ut plurimum tum ex persona proferente, tum ex materia proposita, tum denique ex modo formulisque inconditis proponendi semet ipsas jugulare, cujus exemplum evidens in tuo, Mellite, apparatu habemus. Apparet ubique passio & morbus: mera jacula sine argumento solido: omnia conquisita, fabulæ, rumores, suspiciones, conjecturæ, perversæ illationes: Ex quo inferri debebat virtus, colligitur vitium. Alienæ, totoque exorbitantes Cælo interpretationes, mendacia, centones meri; exclamationes, exaggerationes, hypotyposes; Jam si ad singula respondere negotium sit, ejusmodi esset, atque si aut os canibus, ne latrent obfocare; aut virus viperis, quod assiduo reperant, excernere statuas.

Et vero, quod vobis, Jesuitæ, solatio sit, ipsa tot taliumque hominum obtrectatio gloriosa vobis est; Ignobilem enim & inertem nemo insectatur; sed a quo vel quis timet, vel cui invidet, vel a quo dissentit; vel denique
cujus

cujus virtus adeo eminent, ut umbram aliis facere videatur sceleratum quippe, profligatumque hominem calumniatur nemo; satis enim ignominia morum premit: neque illum calumnia appetit, in quo nihil novi est, vituperabilem esse. Hinc enim fit, quod de quibusdam non laboramus, nihil ad eos oppugnandos enitimur, ad eorum vitia nemo consistit: quia nihil novi. Ad rariora convertimus, vulgata præterimus. Res vestra, Socij JESU, aliter habent. Argumenta conquiruntur, industria effluet in ponitur, omnia dicta facta patentia, occulta, vera, verisimilia, sæpe & possibilia, imo & impossibilia vestigantur: Spectaculum plane facti estis mundo, angelis & hominibus: Quid tot studia adversantium sibi volunt? Scilicet ut probent in luce vestra maculas quasdam reperiri: novum scilicet hoc, & non cuiusvis notum Argumentis huc contendendum est. Quæ lippum esse aut surdum ipsi oculi, vultusque prodit, lippum esse, aut surdum nemo probat. Res est etiam lippis nota.

At vero egregia virtus, & communem modum supergressa irritamentum est primum invidiæ, atque, quod inde consequitur, calumniæ. Quippe moribus hominum comparatum est; ut in rebus omnibus ad præcellentiam faceret; sic nec in claritate virtutis quisquam æquo animo fert superiorem se. Eminentis virtutis præclarum signum est, allatrari. Ipsorum iudicio calumniantium ij, qui petuntur, magni sunt. Quod in vobis certe verum est, Iacelyti Societatis JESU indigetes: Ipsum scriptitantium calumniantiumque iudicium gloriæ vestrae cedit: omnes enim eo id faciunt, quod aliorum fuisse sciunt irritos conatus. Quis enim aggreditur hostem, quem alioqui novit esse profligatum? Magnam esse existimationem necesse est hostis, adversus quem tanto apparatu tantisque copiis venit. Quatenus ego quidem ex Mellito eam vobis gloriam polliceri nequeo, quod hostis est parum conspicuus.

qui Societatem potius sui causa, spe scilicet aliqua gloriæ ex tali molitione proventuræ, quam fiducia derogandi aliquid infectatur. Inopiam suam hoc qualicumque vento implere desiderat. Hoc enim persuasum habet; vel audere aliquid in Societatem JESU, aut eam laceßere, gloriosum sibi fore, Verum si superi diem porro indulserint, non ille sane unquam potis erit, se voto damnatum lætari. Habebit qui ei nervum, & alas incidat, & pro gloria, quam quærebat, remetiatur, quo sapiat, intellectum. Hæc obiter.

Cæterum ad vos mea rursus oratio gloriosi Ecclesiæ Dei pugiles. Tenetis apicem, imo olympum famæ securæ quo nullæ unquam ululæ ferali cantu pertingant, aut bubones funesti, quibus hoc vitæ institutum est, odisse, & odio haberi: Quod mihi plane persuadeo, vestrum fuisse consilium, quod rostrum importunum nullo usque responso truncandum putaveritis: belle actum! fecistis, quod erat virtutis Religiosæ, quod Sapientiæ. Libenter sufferitis insipientes, cum sitis ipsi sapientes. Cor. 2. 12. Et mihi tamen veritatis interpretem agere licuit, tum ad facinus recutitæ frontis retundendum, tum ad famæ vestræ tuendam integritatem. Ex ipso, qui in manibus est, eventu discere potestis, quantum sit in rebus vestris pondus. Dudum ego hoc mecum tacitus expendebam, quid esset, quod, cum in aliorum dictis scriptisque multa facile dissimulentur, facileque excusentur, scilicet interesse permagni reputant judicium & calamum Societatis, esseque non parvum in utroque momentum. Quid innocentius scribi poterat libello Soterij? & fuit tamen ejus tanta vis, ut efficeret, nonneminem propemodum de potestate mentis exire, malo interno in alterum jam cerebri paroxysmam erumpente.

Scio.

Scio, quam tibi doleat Mellite, me adeo in Societate JESU laude versari: ne, quæso imperes animo meo: sic Deo teste sentio, sic iudicio non hodierno primum, sed inveterato contendo. Et vero licuit tibi commentitias ejus noxas tam avidè esurienterque masticare, quid ni licebit ejus egregias virtutes, ex vase spurco, in quo tu eas collocasti, id est, calumnijs tuis, in lanceas aureas, ingenuæ veræque prædicationis transfundere, queis, veluti dapibus odoratis palatum Christianum satiari, nedum Religiosum possit? Quas tu virtutes, ad talia cæcus, in Societate non vidisti, alij æqui bonique vident omnes, laudabuntque ad nauseam tuam. Et vero ea omnia, quæ protulisti, ea tantum parte sunt vitia, qua tu aspexisti; obliquus enim oculus quid recti videat? ea vero parte, qua probi, prudentesque sunt intuiti, pura omnia, integraque videntur. Nullū illi parvum in Soterio consilium, nullam in verbis alienam sententiam, contumeliam, maledicentiam nullam, nullam alijs Religionibus detrahendi studium viderunt, nullam præterea in Superioribus incuriam, nihil eorum, quæ tu in Societatem JESU universe blaterasti, viderunt: nihil, inquam, nisi studium maledicendi tuum, & verbo, magnum iudicij Religiosi, quin & virilis inopiam. Quo vel ipso, ut jam alias dixi, compendium fecisti nullum, nisi ut ridereris.

Miror ego profecto, quod tu, qui, ut audio, Græco rore tinctus es, centones tuos non Græce potius, quam Latine conscripseris, ut ne saltem ab omnibus, qui te in cute noscunt, legereris. Non tam Societatis causa hoc dico, quam tui, qui tali consilio multis te fannis subtraxisses. Quid enim, cum te Ascetica dogmatizantem audiunt, te? cum Theologica crepantem: te? cum de Lessij eruditissimi clarissimique viri doctrina censuram ferentem: te? cum de in omnibus quærendo DEO loquentem, de Christi Crucifixi exemplo, de mortificatione, de humilitate, de Charitate, de Zelo Divinæ gloriæ, hæc, inquam, & talia

& talia buccinantem : te ? Denique de prudentiæ legibus differentem : te : te , inquam , de prudentiæ legibus loquentem ? DEum immortalem ? qui nonnunquam risus ! qui cachinni apud eos , qui te noverunt , fuerint necessario exorti , cum centones tuos , qui dignati sunt , legerent ! Sed tibi , credo , & hoc satis fuerit mercedis , motum saltem aliquem apud legentes excitasse . Crede mihi , non sane amicus fuit , qui , ut in hoc orbis iudicium prodires , tibi suavisit , aut persuasit . Nasuti sunt multi , & aliquid ultra paginam & literas odorantur . Te quem tali more scribentem legunt , nullo virtutis , saltem in verbis colore ; quem vident , nihil eorum , quæ de virtutibus magnifice præceperis , tua scribendi ratione impleffe ; cæce in omnia , & cum impetu ruere , quomodo prudentiæ vel unica suffartam putabunt ? Quem advertunt adeo passionibus ultra omnes limites , & moderationis , & veritatis , & humanitatis , & Religionis abreptam , quomodo constantiam viri maturitatemque in te reperient ? Quem vident quovis fere folio in grallas assurgere , thraconismos crepare , montes polliceri , quomodo in te fixum aliquid , solidamque humilitatis , & modestiæ Religiosæ deprehendent ? Quem vident , meras despumare calumnias , in Viros Sanctos , in Cœtum Religiosum , quem publicam inter viros Sacros , imò Ordines universos excitare velle discordiam ; qua , quæso , ratione fiet , ut te serio dixisse , quæ de caritate & concordia Religiosorum , de ædificatione publica , vitandoque scandalo , de rerum Sacrarum exercitatione , de superandis tentationibus , alijsque talibus locutus es , ut te factò id esse , quod locutus es , credant ? Vide sis mi Melite , quam longe consultius tibi fuisset hæerere in angello cum libello , & exercitia , quæ proprie Monachorum sunt , id est orationem & mortificationem diligentius usurpare , quam adeo ire in præceps , ut

M

nec

nec apparere sine dedecore, nec pedem sine ignominia derisioneque publica possis referre. Hoc igitur consilium tibi eram daturus, ut abortibus tuis græcum vestimentum indueres, quo saltem cultus peregrinus turpitudinem abderet: Quamquam quid ego Græcismum desiderio in homine, qui pleraque, quæ his tabellis descripsit, græcatus est?





CAPUT XXIII.

Quam egregie græcatus sit Mellitus.

HOc enimvero ego non tantum Græce, sed plane Latine, imo Germane, id est, evidenter demonstro. Vide, quid dicam: evidenter demonstro sic:

Si in ijs quæ contra Societatem scripsisti, non esses græcatus, jam dudum e rerum natura DEUS & Sedes Apostolica, omnesque boni Societatem eliminassent; certe illam adeo non æstimarent & foverent; nisi dicas, in facie Ecclesiæ, ad aras & Sacrosancta tolerari publicos idololatrias; aut Pontificem, Principes omnes Christianos, qui talia tolerant, esse paris farinæ: Atqui Societas hæctenus, laus Deo! eliminata non est: estque apud omnes supradictos in pretio & amore, ergo tu in ijs, quæ contra Societatem scripsisti, manifeste græcatus es.

Rursum sic argumentor; Si tu in ijs, quæ contra Societatem scripsisti, non esses græcatus, parum provide agerent Principes, Episcopi, alijque Viri prudentia & probitate

tate insignes, quod Societati JESU conscientias suas, filios suos instituendos, & sæpe numero summa quæque Ecclesiæ negotia committant. Quis enim hæc provide committat idololatriæ? monasteriorum Ecclesiasticorumque spoliatoribus? talibus denique, quales tu descripsisti non JESU sed diaboli Socijs? Sed evidenter falsum est, Principes, Episcopus, aliosque summos viros non agere prudenter aut provide, quod talia Societati committant; ergo tu in ijs, quæ contra Societatem scripsisti, græcatus es. Vide, quam utar termino mansueto & humano: non dico: *mentitus es*; sed tantum: *græcatus*.

Age, de integro sic instruo argumentum ex telo a te mihi suggesto: Si tu in ijs, quæ contra Societatem scripsisti, non esses græcatus; Episcopi, alijque viri Ecclesiastici tam Petrini, quam Religiosi non fuissent in Societatem tam mire benefici, ut tute prædicasti: certum enim est, eos beneficia sua collocasse prudenter, proinde non contulisse immeritis, sed talibus, quos videbant dignos beneficijs, minime autem idololatriæ, aut Monasteriorum parochorumque prædonibus, Socijsque diaboli.

Atqui Episcopi, alijque viri Ecclesiastici &c. fuerunt in Societatem mire benefici, quod & ipsi uno ore fatentur & prædicant, & tu multis exemplis recte demonstrasti: ergo tu in ijs, quæ contra Societatem scripsisti, græcatus es.

Adhuc unum in gratiam tui quondam Confessarij, de te optime meriti, si tu in ijs, quæ contra Soterium scripsisti, non esses græcatus, tunc Soterius vel fuisset homo perditus sceleratus, vel fatuus: quia ut tu dicis, scripsit asserta gravissime contumeliosa, & injuriosa in alios Religiosos Ordines, gravissime scandalosa, abominanda, impudentissima, detra

detractoria; Qui autem talia scribit & in vulgus spargit, non potest non esse nisi perditæ sceleratus, si id faciat scienter & deliberate: vel si id non facit scienter & deliberate, non potest excusari ab infania, qui tales enormitates non agnoscat.

Atqui evidens est (quantum evidentia moralis haberi potest) evidens, inquam, est, Soterium non fuisse hominem perditæ sceleratum, aut fatuum. Constat enim fuisse virum pientissimum, nullo sinistro affectu in Ordines alios abreptum; cum eisdem etiam plurimos Candidatos submiserit; denique habuisse perpetuum & universale testimonium ab omnibus Austriacæ provinciæ Jesuitis, quod fuerit vir singularis virtutis & prudentiæ; idemet testimonium ab plurimis alijs tum Religiosis, tum secularibus, denique ab ipsis Societatis JESU Superioribus, qui eum in summis suæ Provinciæ officijs præfecerunt, ergo tu in ijs, quæ contra Soterium tam profligate scripsisti, græcatus es.

Ex hoc jam sequitur aliud argumentum:

Vel tu, quæ contra Soterium scripsisti, imprudentissime scripsisti, vel es græcatus: Probo: vel agnovisti, quod bona mente suas considerationes Soterius scripserit, vel non agnovisti: Si non agnovisti bonam ejus mentem, hoc ipso putasti eum perditæ sceleratum aut fatuum, & hoc erat imprudentissimum, ut paulo ante ostendi; qui evidenter falsum. Si agnovisti ejus bonam mentem, ergo græcatus es tunc, quando dixisti, eam impudenter, matiose scripsisse.

Rursum sic : Vei agnovisti bonam ejus mentem, vel non agnovisti : Si agnovisti, ergo impudenter & malitiose tam abominandis scommatis & convitijs innocentem affecisti. Si non agnovisti bonam mentem, ergo cæcus & hebes fuisti, quod non adverteris, in quibus circumstantijs, quove modo ejus considerationes fuerint propositæ, videlicet non absolute, sed problematice.

Denique sic arguo : vel tibi fuit dubium de ejus bona mente, vel non fuit dubium : Si non fuit dubium, ergo impudenter & malitiose eum tanquam calumniatorem, detractorem, propudiosum, scandalosum, alijsque scommatis traduxisti : Si fuit dubium, ergo si prudenter agere voluisses, debuisses præsumere pro innocentia Viri; ex omni jure. Nemo enim præsumitur nocens ; Et hujus saltem præsumtionis fundamentum erat grave, nempe ipsa Virtus & Sanctitas Viri apud omnes testata, Igitur cum non præsumpserit, impudenter & injuriose fecisti. Sed satis tandem de his. Illud tamen præterire non possum, quod tu Jesuitis lautitias in victu, quod divitias, quod spolia monasteriorum objicias.





CAPUT XXIV.

Ineptissimæ Melliti calumniæ de lauditijs, divitijs, & spolijs Jesuitarum.

TU Jesuitis lautitias in victu objectas ? tu divitias & opes ? tu monasteriorum spolia ? tu, siquid mentis habes ac verecundiæ, tu, qui nosti, quid ego, si tui similis essem, tibi reponere, quam cum tua ignominia hæc diluere, quam retorquere titulis infinite pluribus valeam. Sed absit. Caritas operit multitudinem peccatorum. Petr. I. 4. Disce modestiam, disce famæ alienæ teneram non lædendæ religionem. Scis (audi adhuc semel, atque iterum audi) scis, quid ego reponere ad similia possem, quidque tu, si ego esses, reponeres. Ridebunt procul dubio prudentes, qui hæc legerint, te mihi adeo prompta offerre tela, quibus si uti libeat, continuo cum tuo rubore possem; sed abstineo: famæ parco; silentio comprimo, quod tu minime merebaris. Quid ? tu adeo in rebus alienis oculatus, ut alios arbitrare cœcus ? tu tibi loqui & scribere,

quæ velis, licere, nihil alijs putavisti? Jam eram, ut tibi os uno prope verbo obtunderem; Archivia provinciarum inspice; vide, quo fonte profluxerint illa Cœnobiorum ab Jesuitis rapta spolia: Entium tu mirabilium indices invenies, aut si non invenias, communicare tecum possum. Sunt Anecdota quæ tu tomis tuis, scio, in æternum non infereres. Promere possum, ad manum sunt. Ne quaeso, fode, quod cum tuis ingratias (ne quit ultra dicam) eliceres.

Prome reliqua: tu si mens es, intellige. Bona Monasteriorum per summum nefas erepta criminariis: Sic tu non tam Jesuitas, quam Pontifices & imperatores, rapinæ accusare es visus? Authoritate quippe Pontificia, Cæsareoque interventu res Cœnobiorum nonnullæ ad Societatis JESU Patres translatae; quas tu *per nefas* esse dices *ereptas*? *per nefas*? *ereptas*? a summis Pontificibus? a Cæsaribus? Jesuitæ enim se ipsis id facere haut poterant, Cæsares curavere; assensere, probavere Pontifices: Ab his igitur per nefas ereptæ? Hi prædones, hi raptores Monasteriorum? Videant venerandi rerum humanarum Vertices, quid in tam nefariam calumniandi audaciam statuendam. Hic hic rogas nefando libello! Qui ipsis Sanctissimorum Pontificum, atque Principum pientissimorum deliberatissimis decretis dicam ausit impingere, rapinæ crimen imponere, nefaria appellare; cui nec Pontificum, Cæsariumque cinctos jam sancti, nec acta jam veneranda, quin imo maximi flagitij scelerisque rea. Per *summum* inquit *nefas erepta*. Quam hio homo barbarus & incogitans! qui nullo personarum discerniculo, ut unos offendat, in quoslibet etiam Sacrosanctos Vertices os audet rabiosum attollere. Sic tu hæc talia in Gallijs, aut Italia, ubi apices verborum singuli, Supremis Capitibus injuriosi, religiosius attendantur, scripsisses, næ tu, ut meritus es, stigma publicum certo certius retulisses; retulissesque, credo, in Austria,

stria, si tanti esset, te iudicio persequi. Causam suam agant quos flagitiose læsisti. Age tu vero, expecta; necdum omnium dierum sol occidit. Quam iustum, quam plausible mihi suppetat argumentum scribendi, si Causam summorum Pontificum, atque Imperatorum defendendam, si iustitiam factæ bonorum translationis demonstrandam susciperem! si causas, ob quas ea facta est, enumerarem, atque exponerem! Sed quid opus Camerinam movere? nec faxo, nisi me causa irritatæ porro lenitatis adegerit.

Hic ego tibi sub rosa atque amice loquor: Mellite, quid si ego in tuum Sanctissimum Ordinem, quemadmodum tu in Societatem? Quid si ego, qui liberius, quam e Jesuitis quisquam, scribere in causa aliena possum, quid si ego, quæ vel habeo præ manibus, vel habere in promptu possum, quæque ipse aut lectione, aut auditione accepi, quid si ista congererem, digererem, scriberem, axasperarem, aggravarem, diducerem, in lucem publicam ederem, atque Orbis oculis subjicerem? Intellige, si vir es, quæ Species esset voluminis; qui modus scriptionis, quæ ratio famæ inde promanaturæ: Anne putas, ullum esse in rerum natura cætum hominum tam sanctum, de quo dici, scribive nisi laudabilia non possint? In magna enim domo non solum sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea, & fictilia, & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam. Tim. 2. Anne putas ligatas esse alijs omnibus manus, captamve mentem, qua nihil, quod regeratur, inveniant? aut putabas tu te adeo terribilem, ut audere, tamen si maxime velint, non posse videantur? Quid si Jesuitæ talione uterentur? At non utentur: hæc eorum modestia & Religiosa Charitas est; qua tunc debebas tam atrociter abuti? ac non potius pudefacto, si possis, ore tuo retrahere manum de tabula, & vitis adeo moderatis,

M s

quibus

quibus invidia infamiaeque per primum libellum adeo non nihil accersieras, saltem silentij, patientiaeque commodum relinquere? Sed quid ego hoc conqueror? ridenda scilicet & explodenda fuerant.

Videte hominem, videte Monachum Mellicensem, qui Jesuitis lautitias, opes, divitias exponat: videte & ridete. Nunquam ego Jesuitarum offam gustavi: hoc tamen toties totiesque audiui, frugales audiui, frugales admodum esse virorum Religiosissimorum dapes, naturae duntaxat sustinendae, non delicijs apparatus; neque facile quisquam, quem quidem audissem, praeter te exiit, qui illis lautitiam fartumque ventrem objectaret: in quo, quos hisce auribus audiui & Religiosos alios, & seculares testes habere non unos potes. Verum tu vir admodum nasutus adipem scilicet & cupedias Sybariticas ex eorum culinjs eminus odoraris.

De divitijs quid? ridete, ridete amici! Hic tu sane culicem instar Cameli vidisti, atque in vicino pecore ubera grandiora. Si mendicus haec, atque ex obolarijs quisquam haec talia garreret, erat, ut paupertati dicacitas condonaretur. Verum enimvero te haec objicere? vides mihi verba minime defutura, si cogitandi impetum sequi scribendo velim. Tu reliqua intellige: Mihi, quantum de rebus Jesuitarum cognitum (& sunt cognita non pauca, ut qui & codicis jugerum provincialium, aestimationemque opum patriarum non novus inspexi) scio paritatem hic admodum elaudicaturam, adeo quidem, ut longe impar inter opes Societatis & aliorum nonnullorum sit proportio, Nihil moror: Fruantur in DEI nomine servi DEI seu opibus, seu facultatibus piorum liberaliter partis! Hoc tamen admiratus

miratus sæpenumero sum, quid esset, quod Jesuitarum tantam opes in oculos hominum adeo incurrant, quas tamen scio, quam sint aliorum multis partibus inferiores. Uni alterive in Austria Monasterio (quis credat? & tamen exploratum est) opulentiùs quotannis redit vectigal, quam universæ Austriacorum Jesuitarum utut amplissimæ Provinciæ. Ad hæc pleraque Collegiorum onerata ære alieno; nonnulla adeo in arctum redacta, ut solertia bene magna ad socios tolerandos sit opus. Hoc, si nescis, Jesuitarum perenne & ditissimum prædium est: frugalitas, certumque quo vivunt, dimensum; tam illud omnia domicilia colligans vinculum, quot fit, ut uno vacillante subsidium sit ab alijs, personarum numero ex opibus collegij temperato.

Illud vero, quod tibi avaritia est, nescio, quo tempore, ante vel post prædium scripseris. Adeo mihi titubare sensus tuus omnis videbatur. Cum Jesuitis opes immensas in Hispania & Indijs attribuas, quare non etiam imperium illis aliquod in concavo Lunæ ædificas, quale forte Joannis presbyteri legisti? Tu tamen hoc tam luculentum Jesuitarum ærarium etiam mendacijs ditare aggredieris, grossulis, inquam, nonnullis e stipendio Sacrificationis averfis, quos ego grossulos ad coemendum tibi intellectum, atque pudorem libenter impenderem, nisi comentitij essent, & e fabrina mendaciorum, ut pleraque tua, procusi. Nusquam ego profecto locorum cum grossulorum illorum quæstum ab Jesuitis exerceri aut vidi, aut ex nullo mortalium audivi. Sed hi scilicet grossuli ad inopiam, pauperiemque maledicentiæ sublevandam Mellito servire debuerant. Cæterum, quod de avaritia est, miror, quod, cum manus tuas assiduo ad caput referres, muscasque inde innumeras e cerebro eximeres, non aliquando tuummet nasum apprehenderis, cum ejusmodi scribis, quæ mutatis nominibus dudum ab male-

volis

volis invidisque hominibus eadem de Religiosis omnibus
 cantabantur : nisi hoc demum peculiarem Societati noxam
 des, quod inter vota sua non habeat & illud, nihil a quo-
 quam pie liberaliterque donatum ullo tempore acceptandi,
 aut certe hoc velis, ut commoda sua in loco, dum jus &
 æquitas permittit, incuriose negligant : aut denique hoc,
 ut abripi sibi per fas nefasque omnia permittant. Tuine
 id permetterent ? Et vero nec debent, nec citra noxam
 possunt, cum administri sint patrimonij Christi, curatores.
 que, non Domini. Hæc ego, ut satis advertis, non pro
 Societate tantum, sed pro tuo quoque alijsque Religiosis
 Ordinibus scripsi, non tam ad refellendum te, qui a tuismet
 verbis satis opprimeris, quam ad alios, qui lecturi sunt,
 eo glaucomate de avaritia Religiosorum,
 liberandos.





CAPUT XXV.

*Recte faciendo & fortiter tolerando
stat Inclŷta JESU
Societas.*

Tædet jam, pigetque ea omnia persequi, quæ tu late, & cum incredibili sapore mandebas & remandebas: futilia sunt omnia, & meræ muscæ, quas capere tanti non puto. Antiqua sunt & exoleta adversus Almam JESU Societatem scommata, extritæ nœniæ, quas quid refert refellere? Sexcenties abjectæ, sexcenties refutatæ sunt; Quas si tibi consilium erat orbi erudito rursam ingerere, non erat opus te novo conficere labore, tempusque absumere: Libellos famosos non tot, quin plures ab hæreticis, ab invidis, ab tui similibus contra Sanctam Societatem editos ad prælium revocari curasses; tum enim vero tomos continuo maximos, quæ tua gloria est, edidisses. Verum quis est ingenuorum hominum, qui ad ejusmodi insanias animum advertat? Nimum violentum est orbis universi de integritate hujus Sapientissimi Cætus testimonium; nimum manifesta proborum Virorum in eam studia, nimum communis peritorum omnium de Ejus innocentia, comòdisque maximis, quæ in omnes hominum Status ab ejus virtute ac doctrina

doctrina dimanant, confessio, consensioque, ut actum agra
 omnis invidia, atque in vanum sua tela consumat calumnia;
 perindeque sit Ei labem ac tenebras velle, quam incur-
 renti in oculos luci meridiana noctem affingere. Inania
 igitur omnia; suæ tantum invidiæ, latentisque ægritudi-
 nis proditores sunt, ægrosque sibi docent oculos esse,
 quibus adeo dolet aliena lux, fatenturque (quod nolunt)
 esse lucem non vulgarem aut dubiam, sed plane præfulgi-
 dam, quæ tam acriter oculos liventes everberet.

Dei hæc dona sunt, multa profecto patientia redem-
 pta. Durarunt optimi viri, ut auram in flamma, magno ful-
 goris ex ipsa perultione compendio. Si quibus enim, certe
 viris istis accommodare possis illud apostoli solatio gloriæ
 plenum encomium (ad Hebr. ii.) *Per fidem vicerunt re-
 gna, Operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissioni,
 obturaverunt ora leonum; extinxerunt impetum ignis,
 effugerunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate,
 fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum!*
 Hoc de primis Ecclesiæ heroibus Doctor gentium, de So-
 cietate JESU & ego & probi omnes; Quod si velim singu-
 latim diserteque demonstrare, ultra propositum ferrer: De
 regnis per fidem devictis, de viris justis & sanctis, de ope-
 ribus iustitiæ in omne genus hominum expromtis, de im-
 petu ignis, id est odij, invidiæ, persecutionum per toleran-
 tiam & mansuetudinem extinctis, plane sunt memoriae, &
 Experientia testis quotidiana. Illud egregium & plausibile
obturaverunt ora leonum, innocentia vitæ, apparatus
 doctrinæ, *Convaluerunt de infirmitate*: sic infirmi, ut
 fortes evaderent, sic depressi, ut assurgerent altius, illudque
 sibi per immutabilem vitæ morem vendicarent perenne, ut
 ab auditione mala non timeant, arcano mirabili ac proprie
 Jesuitico ex ipsis tenebris eruendi lucem, ex infirmitate ro-
 bur, ex infamia decus, ex invidia gloriam. Tanti est ars
 ferendi, & nosse sapienter aliquando succumbere.

Hac illi arte, si nescias, ad famam gliscebant publicam, irreperunt in animos non vulgi tantum, sed virorum etiam summorum, admirando virtutis lenocinio: Virtutis, inquam, non assentationis; non artibus obliquis (ut vomicae sentiunt) sed virtutis plane: Quod licet ægerrime audias, quisquis es invide, audi tamen, imo vide: Europam universam circumspice; Aulas Principum Catholicorum invise: irrefragabile profecto virtutis egregiæ, integritatisque argumentum videbis. Nullus est fere hodie Magnorum Principum, qui operas Jesuiticas suæ domi non habeat. Has Augustissimus, has Christianissimus, has Catholicus, has Lusitanicus, has Polonicus, has Sardicus, has Potentes Italiæ, has electores Germaniæ Catholici ad unum omnes (in digitis numera) has plurimi Principes alij tum Ecclesiastici, tum seculares, domesticas habent, in consilia conscientiarum suarum, suorumque adhibent, & ne neges, speciali etiam favore æstimationeque prosequuntur: In quo si quidquam assertationi, si imposturæ tribuas, ne tu Principes omnes egregiæ Simplicitatis accusas, nimiumque quantum de subtilitate Jesuitarum suspectas, ut quorum artibus eludendis nulla sufficiat, quantumvis eximia tot Principum Aulicorumque prudentia. Hoc igitur adeo conspicuum tantarum mentium iudicium mihi nunc profit ad obruendas contumelandasque hominis obscuri nuperique calumnias, in quo nihil amplius, quam conatum mirere. At at eratne, ut huic obscuro tantum lucis objicerem? Indignum profecto.

Ergo non ejus gratiæ, sed ornamento fulgentissimi

Ordinis ea omnia, quæ protuli,
data sint.



CA-



CAPUT XXVI.

Quam affectatus & insulsus Cause Petrinorum Patro- nus.

REvertor ad te rursum Mellite : Est , quod paucis ex te perconter id, quod jam alias sum percontatus ; nempe quid tantum causæ rationabilis fuerit , ut hoc secundi foetus carcinoma effunderes in lucem ? Societati JESU detrahere ? Hoc certe rationabile non erat , nedum Religiosum : Finem quæro pium aliquem , tuæque Asceti, ac Theologiæ, qua conscientiam liberet, congruentem. Ultio si tibi proposita, aut si studium infamandi fuit , hunc tute vides pium- Asceticum, aut, Theologicum finem non esse. Quid igitur ?

Veniam jam ad propositum, in quo minime fallor, tuum : Unum erat, quod prætexebas, atque in fronte ferebas, videlicet Illustrissimi Status Petrini , adversum calumnias Jesuitæ defensio. Institutum sane plausibile hæctenus, & inter gloriolæ tuæ spolia, ut tibi videtur, minime postremum : gaudebas eo, quo adusque sibi litem nemo intenderet. Quid in posterum ; prudentiorum, quam tu sis, iudicium esto. Aliter & intercutaneus propriusque tibi
finis

finis erat (ne quæso, neges: nimium enim unguis ex hoc agnello eminent) erat, inquam, ut campum areamque haberes, in qua posses, quod antea cœperas, & ob ubertatem conquistæ materiæ, nondam unius libelli angustiis complecti poteras, tuum fœnum & stramenta tua contra Societatem JESU in solem producere; in quo præter tuam, credo mentem evenit, quod nonneminem cupido incesserit, capescendi munus triturantis. Tu tibi de messe plane opulenta plaudebas, cujus fructum in brevi esses ex hominum judicijs capturus. Et erant, qui nihil ultra Speciem cernentes Cererem tuam adeo propitiam in cœlum ferebant, factam tibi ex aliena fama, id est agro, quem secaveras, messem tam uberem gratulabantur; atque hic tu tibi jam plene laudum horrea somniabas, in annos plurimos suffectura. In quo quam valde falsus sis, ipsemet vides. Excussi paleas tuas; nihil inveni præter acervum loliginis, & denique paleas, quas tu ad fumum ciendum providè comparasti; ego eas cui cui libuerit, libens volensque relinquo, certus, quod alicubi nullo damno publico, ut merentur, computrescent.

Cæterum ut ad primum de consilio tuo pro Petrinis perorandi, redeam, duo miror: Primum quod nomen tuum, ex quo procul dubio gravissimum pondus erat accessurum libello, suppresseris, scilicet vir humillimus & gloriæ captandæ nullo pacto adductus. An forte puduit? puduit enimvero; sed illud imperite, quod pudori tuo velum non tale prætenderis, quo, qui inspicerent, te agnoscere prohiberentur. Undique pates: hac & illac teneris; nemo est, qui libellum tuum priorem vel obiter lincerit, & hunc posteriorem viderit, non continuo volucrum ex plumis & cantu agnoscat. Quin, credo, ægerrime te laturum, si quis partum adeo nobilem alteri cuiquam, præterquam tibi, attribueret; scribi te in fronte puduit, agnosci non puduit:

N

accu-

acutum nempe ingenium, ut & ob libelli fabricam laudareris, & modestiæ laudem non amitteres. Frustra, mihi crede, laudem hic quæris modestiæ; jam ita præscripsisti ut si ex alio indicio non agnoscereris, ex ipsa scribendi immoderatione, velut ignis ex fumo, patefieres: Quod si occultus esse revera vis imposterum, scribe mature: nemo de te suspicabitur, ne quidem, si nomen tuum addideris.

Est autem, ut ex te quæram, an te revera puduerit hujus opusculi, an non? Nam si te puduit istius, cur non puduit primi? Si non puduit, cur nomen non addidisti, cum extet in primo? Hic vero tuo more dicam: quo me vertam, nescio: Hocne putem, quod latere volueris ex ingenti scilicet, ob quam te libenter celebrarem, humilitate? Quid igitur nec stylum, nec methodum, nec cogitationes, nec genium illum tuum ex omnibus vocibus elucentem, nisi interdum (& tunc per summam affectionem) immutasti? nonnunquam etiam, ut es, græculus apparere voluisti. Ego si latere me serio vellem, callidius certe & providentius rem instituerem. Anne autem tu vir Jesuitarum mastix ac terror latere voluisti? Quem timebas? Jesuitas? De his jam antea triumphum agens cum acclamatione capitolium ingressus es; illi post te manibus post terga vincti. Ægide videlicet jam dudum a Pallade donatus es, cujus vel Aspectu quem tu non facias obrigescere? tomos tu tuos anecdotorum, unum a dexteris, a sinistris alterum tertium super pectus obtendis. Sit, ut quisquam te ausit impetere. Habes & caput tuum & cerebrum adeo prorsus obtectum & absconditum, ut nusquam appareat. Quis igitur tibi tali tamque loricate vim afferat? nec desunt tela: nodis abundas, quos tu cum in primo, adeo liberaliter intorseris, nullum tamen es in secundo passus defectum.

Quid igitur latere voluisti ? an ut homines prudentes ludibrium faceres, quibus tu, dum undique agnosceris, te tamen non esse ipsam persuadere voluisti ? cœcos putas, an stupidos ? scilicet hoc tu provide curabas, ut convinci saltem manifeste non posses. Hoc autem quid metuebas convinci te puduit authorem cur ? Si libellus est e decoro compositus, convinci authorem cur pudeat ? Si scœdus est, si indignus te, si indignus conditione, quam profiteris, tua, cur edidisti ? Sic tu, credo, ingenuus es, ut partum etiam ipse tuum jam prædamnaris ? at si prædamasti, cur edidisti ? bono, credo, publico : cui bono ? Defendendis Petrinis ? Hoc autem si plausibile, si honestum, si præclarum erat, nomen cur non addidisti ? adeo hæc gloriam avversaris, qui & depingi te cures, & aspici te, & in oculis ferri, & velut Apollo Delphicus in Musarum sedibus apparere cupias : Credo, quod & illuminari effigiem tuam dudum curaveris. Si mihi hoc munus demaudare non pigeat, habebis, qui te vivis expingat coloribus. Illuminare autem te quis possit, qui alioqui totus quantus es merum lumen gloriæ ? Qui vero alibi effigiem plane tuam appingi voluisti, cur in hoc opusculo ne quidem nomen addidisti ?

Forte gloriam hujus libelli Petrinis noluisti præripere ? Beneficium nempe tu plenum exhibere ijs voluisti, ut & defenderentur a te & ornarentur a te editione librorum. Quam vero tu gloriæ tuæ prodigus ? Satis erat, si defenderes, quid erat, ut libelli scripti nomen tam liberaliter impertireris ? Imo, mi bone, si volebas defendere, quid erat, ut libelli scripti dedecus ijsdem appingeres ? Quis, quæso, erit ex Statu illo Apostolico, qui se authorem tui commatis dici æquo animo sit laturus ? nisi si quisquam sit, qui se dici fabulatorem, calumniatorem, græcatorem, Sycaphantam patienter ferat. Honorem tu ijs facere

scilicet volebas, si fabulatores, si calumniatores, si græcatores, si Sycophantas faceres. Ego sane, si petrinus essem, gratiam tibi pro hoc Xenio nequaquam haberem. Tibi juberem habere crepundia : Si struere Petrinus, defensionem meam cuperem, ope sane non indigerem tua: nisi forte tu illud artium monopolium sis, ex quo viros te innumeris capitibus potiores doctioresque ditari oporteat, Quis judicij tui inopiam omni libelli parte palpabilem? Quis impotentiam animi ad extrema quæque scommata proruentem? Quis mendacia & calumnias sustinere tuas aut præstare in animum inducet? Hoc tu carcinoma Petrinis appingere? hunc tu partum alienæ matri supponere? hanc tu speciosam imaginem consilijs tuis præstruere? alieno nomine tuas ineptias exornare? Quid cogitasti? Quid molitus es? ut credamus homines, homines, inquam, ut spero, non plane fatui, non cæci, non omnium omnino rudissimi; tu hominibus hoc persuadere? Postquam scilicet in manibus est libellus tuus primus, polliquam & verba & sententias, & omnem tuam faciem ex primo in secundum transtulisti.

Sed quid ego hæc multis? vel te libelli hujus secundi pudet, vel non pudet? Si pudet, cur primum ei plane geminum edidisti? & primum edidisti? Si non pudet, non habebis ingratum, quod eundem tibi attribuam. Atque vero seu ingratum sit, seu gratum tibi, hoc certe manifestum, te, si parens non sis, Avum esse; tu origo prima calumniarum, tu antesignanus, tu signifer, tu fons, ex quo rivus hic sæculentus effluxit; igitur libellus primus tibi erit filius, posterior quid nisi nepotulus? tu probrosus in filio, probrosior in nepote: Quippe quod parens unum tantum, nunc avus duos etiam numeros infaulti commatis descendentes. Cæterum tu mihi certe id veniæ non habebis,

bebis, ut sola nominis tui occultatione, Jesuitas calumniandi licentiam sis redempturus. Enimvero sic tibi denuncio: Quidquid in posterum hoc in genere in Jesuitas, aut Soterium eruperit; ex te repetetur. Tu signum iniquissime sustulisti, tu classicum cecinisti, tu te Ducem exemplo, tu, quod notum est, hortatu, stimulationeque præstitisti, tu aciem, tu subsidia, tu typos instruxisti, quæ tu certe, quod mihi promptum erit, impune non feres. Et mihi, quod alias tibi dixi, Archivia provinciarum, historiæque anecdotæ in subsidium venient, tanto certamine expeditiore, quanto felicius instrumentis abundo.





CAPUT XXVII.

Allocutio ad Venerandum Statum Apostolicum.

JAm vero ad vos, Eximij Status Apostolici Alumni, se mea convertit oratio. Si libellum probrosum Melliti legis, credo vestram nonnullis ab ejus infelicissima ineptissimaque propositionum quarundam acceptione injectam fuisse, quod ille intendebat, sinistram in earum Authorem mentem. Tantis quippe facta & onerata calumnijs verba non esse ab omni flagitio aliena propemodum credideritis. Et sunt, fateor, propositiones ejusmodi, quæ si maligne ab suo loco, in quo positæ sunt, segregentur, absurditate sua percellere legentem facillime possint. Veram enimvero, quod vobis notum est ex Apostolo ad Tit. i. *omnia munda mundis: coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum; Sed inquinata sunt eorum mens & conscientia*: Hoc ad rem præsentem omnino pertinere arbitramini. Estis Viri scientijs plerique altioribus ad Supremam etiam lauream exculti; non rudes profecto ejus moris, quem vel Tyrones earum disciplinarum primo die condiscunt; ut *assertiones norint ab objectionibus discernere*:
Sci.

Scitis nonnunquam absurdissima quæque in objectionibus proponi, non ea mente, ut vel pudentur esse de Magistri sententia, eo spectent, ut a discipulis ut *asserta* accipiantur; Quin norunt omnes, ejusmodi, quæ assertioni potius opponi, atque objici consueverunt. Cujusmodi omnium Magistrorum & hodie in Scholis praxis est, & semper fuit, præeunte ipso Doctore Angelico, qui quæ non absurda in objectionibus suis deposuit? e. g. *videtur, quod caritas non sit virtus, quod DEUS non diligatur propter se,* aliaque fere quavis pagina in ejusdem *Summa* occurrentia, quæ si quis putet esse assertive dicta, næ ille S. Thomam absurdissimum omnium, qui fuerunt, Theologorum, atque hæresium maximarum architectum putabit. Quod cum nemini ulli venire possit in mentem, sole meridiano lucidius est, fuisse talia, quæ non afferendi consilio, sed objicendi duntaxat proferantur. In quo nihil est, quod vobis enixius persuaderi debeat: Intelligitis, tenetis, comprehenditis,

Ad hunc fere modum res habet in ijs, quæ de Sanctissimo Statu Apostolico, alijsque Vir pientissimus scripsit, Consilium ei erat Adolescentibus, quorum ille animos mira dexteritate tractaverat, in eo articulo, quo de vitæ Statu deligendo decernitur, facem aliquam præferre, qua non coeque, quo impetus ferret, irruerent, sed matura prius deliberatione pro rei gravitate perpenderent. Hæc porro perpensio, cum, ut ipsi belle nostis, in alio non consistat, quam in consideratione gravium aut apparentium rationum, quæ occurrere *pro & contra* possunt, seu ut verbo dicam, in consideratione commodorum & incommodorum, quæ in Statu aliquo aut sunt, aut esse putantur; ea propter vir hac in arte versatus eam cum suis clientibus inijt viam, ut ijsdem tales considerationes primum quidem voce, postea ad faciliorem earum expansionem etiam pagellis expressas contraderet: Quod ei adeo feliciter cessit,

cessit, ut magno & prope incredibili numero Candidatorum Status omnes, præcipue Religiosos impleverit.

In hoc igitur instituto quod seu pravi, seu minus recti inesse possit, nihil, credo, videbitis: Rectum utique, considerare commoda & incommoda; proinde & rectum, iisdem ea commoda & incommoda consideranda proponi: Juvenes, qui & ætate & experientia parum pollent, tanta ipsi perspicacia, aut providentia non sunt, ut Matre suo omnia ejusmodi *pro* & *contra* occurrentia aut videre, aut observare valeant. Habent itaque necessarium Ducem, qui eisdem omnia rite proponat, non ut omnia credant, sed ut considerent, & expendant, eo plane modo, quo proponuntur objectiones in Scholis, non ut credantur, sed ut expendantur & solvantur ab eo, qui assertionem oppositam tueri velit; aut quemadmodum in quæstione aliqua problematica rationes ultro citroque congeruntur, non ea mente, ut omnes ita se habere credantur, sed ut accuratius a deliberante expendantur; expensæque juvent ad capiendam alterius partis electionem. Nunquam homini Religiosissimo in mentem venit, talia, quæ ibi contra Statum Ecclesiasticum consideranda proponit, aut asserere, aut credenda proponere, sed tantum objectionum instar, aut rationum contra occurrentium, quæ communiter ijs, qui de statu tali amplectendo deliberant, a viris prudentibus proponuntur, quasque fortasse sapius, Viri Sapientissimi, aut proponi audieritis ipsi, aut etiam proposueritis e. g. pericula, gravitatem obligationis, onera temporalia, & quod inde consequitur, occasiones morum in deterius euntium: Præterea talia, quæ solent Ecclesiasticis vulgo objectari, trita illa & vulgata, quæ etsi non proponerentur, alioqui tamen audiuntur, vel occurrunt: quorum tamen consideratio non parum prodest ad deliberationem recte instituendam.

Illud

Illud hic homo vocalissimus identidem clamat, oportuisse objectionibus, uti in Scholis fit, suas etiam solutiones subicere; Quod quam imperite requirat, in alibi dictis ad nauseam diximus. Nescit homo simplex facere discrimen inter eum, qui sententiam suam de re aliqua determinatam, certamque proponit, uti Magister in Scholis, & eum, qui rationes tantum dubitandi indifferenter & neutrali modo proponit: Hunc modum confessarij recto more usurpant, nihil definiendo, nihilque decernendo, quam partem, hanc aut illam deliberanti suscipiendam putent, sed, ut dixi, rationes tantum *pro* & *contra* facientes proponendo; ipsam porro determinationem deliberanti relinquunt; cui & promptam erit objectiones, si quidem in statum aliquem se inclinari sentiat, facili atque ad captum suum accommodato modo dissolvere. Quæ omnia quia fuscè gnauiterque in præcedentibus exposuimus, hic repetere supervacuum foret.

Interim hoc vobis, Viri Sapientissimi, minime obscurum erit, quo consilio homo in Almam JESU Societatem rabide commotus talia scribere sustinuerit; nequaquam illum, mihi credite, Honoris vestri cura tangit ulla, sed venditandi sese per argumentum plausibile, atque inimicitij triumphisque Jesuiticis, quos somniat, clarescendi libido, & denique calcar eminendi, ad istiusmodi consilia impulsus; Nihil pensi habet invidiam universo vobisque plurimum opportuno obstrictoque Ordini publicam conflare: Quod ille, si superi velint, nequaquam certe efficiet. Nimum quantum præpotens est inter Statum Apostolicum, Societatemque Jesuiticam tum instituti, tum beneficiorum necessitudo ac vinculum; quo illi vobis unis ante alios Ordines sese totus debens. Vos vos enim estis Petra illa, ex qua celeberrima hæc JESU Societas est excisa, a qua ut primum exortum, sic postea saccum & sanguinem roburque, quo in hæc, quanta quanta est, excrevit, est adeptus. Quo nefas sit cogitare, nefarium dicere, cuiquam ex eo tam rectis

N s

legi

legibus constituto cœtu in mentem potuisse venire, ut aut vestrum quenquam, aut, quod mentis esset, universum Ordinem Apostolicum sit ausus scriptis in vulgus editis at-
trectare; cum contra certissimus sim, ijs eam omnino per-
stare mentem, quam & vetus vobiscum necessitudo, & bene-
fidorum innumerabilium memoria, quæ apud Viros pro-
bos in æternum non excidet, omni jure flagitat.

Cæterum hoc modo Sapientissimis Viris expendendum relinquo, qua tandem verecundia Mellitus homo Re-
ligiosus viris talibus ac tantis (quorum multi Soterium de
facie & moribus noverunt, & sanctimoniam prudentiam-
que hominis habuere omnino perspectam) qua, inquam
verecundia, qua etiam conscientia ijsdem talia offerre atque
ceu partes ipsorum agens, etiam in lucem publicam emitte-
re ausus sit; talia, quæ non nisi in hominem perditissimum
sceleratissimumque, aut certe insanum, menteque omnino
captum cadere possint; Apud eos ausit tanta scommata,
tantas calumnias, in hominem Sanctissimæ & Venerabilis
famæ effundere, queis absurdiora fere ne in Hæreticum
perfidissimum evomere valeat; Præterea apud eos Vi-
ros famam Universæ Societatis JESU tam indignis ex-
crandisque modis appetere, ut furere verius, quam loqui,
aut scribere homo, qui se Religiosum vocat, videatur, Vi-
deant, quæso, quid homini ejus notæ deferri aut fidei, aut
auditionis possit, in quo omnibus e locis nihil apparet,
quam mera, vivida, ac virulenta, nullisque contumelijs ex-
satiata passio. Quæ cum hætenus abunde demonstraveri-
mus, illud superest, ut ea, quæ diximus, in summam colle-
cta in hoc demum deserviant, quo appareat, hominem arro-
sorem non tam flagitiose, quam imprudenter, nec tam
contra voluntatem, quam contra intellectum peccasse;

mollissime certe hunc in modum factum

hominis interpretabi-

mur,

CA-



CAPUT XXVIII.

Judicij lapsus in Mellito.

I. **Q**uod, tantos strepitus propter rem futilem ac prope nihil, prout ad satietatem demonstravi, inceperit : non secus, atque ille, qui propter morsum pulicis aut culicis concursaret fora & plateas, & tanquam de lethali vulnere accepto ejulatum ciceret. Quale judicium!

2. Quod ad offensionis acceptæ potius, quam datæ seu medicinam, seu ultionem tam furioso remedio usus sit; cumque libellum, ut vocat, propudiosum suppressere & exterminare voluerit, medium directe oppositum adhibuerit, quo vel maxime innotescere per alias etiam tertas debuit. Quale judicium!

3. Quod ob rem tam futilem ac frivolum non dubitaverit jacturam invehere rei maximæ & pretiosissimæ, nempe charitatis & concordie inter Religiosos Ordines, ad quam conservandam prudenter potuisset, atque etiam debuisset illam qualemcunque verborum optima mente prolatorum
offen-

offensionem dissimulare, & negligere, aut certe facta ad superiores debita ac Religiosa insinuatione pacifice avertere, Nonne detrimentum incomparabiliter gravius, quam lucrum? Quale iudicium!

4. Quod tali modo, tantis, tamque in omni fere pagina repetitis scommatis, invecivis, exaggerationibus, beneficiorum exprobrationibus, gravissimis tanti Viri contemtionibus, quem *ignobilem Theologastrum, insanum, vertiginosum caput, incogitantem, imprudentem, ignorantem, mox fraudulentum, turpissima philautia ebrium; impudentem, contumeliosum, maleferiatum,* & nescio quibus (quas pudor est vel referre) nomenclationibus appellat, efferbuerit; Quo si putavit, se fidem prudentibus facturum, quale iudicium! cum omnes palpent, ipsum passione tantopere laborare, ex passione loqui. Si putavit, se de mortuo tali via triumphaturum, quale iudicium! cum mortuo insultare nullius hominis fani sit. Si voluit Societatem hac via impetere, lacerare, quale iudicium! cum ob unius hominis, si quod etiam fuisset, piaculum nequaquam conveniat in cœtum universum iram convertere. Si voluit hac via gloriolam aliquam, quam nonnullis aliquando ex clarorum hominum inimicitia & rixa publica petere placuit, aucupari, quale iudicium! cum potius a multis, qui ramum isthunc & calcar advertere poterant (ut certe adverterunt) risum & exsibilationem, ac plane odium timendum habuerit; prout & reipsa non mediocre retulit.

5. Quod, cum hætenus, ut ipse fatetur, ex quo Societas in his partibus *nidiscavit*, concordia perennis extiterit, nullaque ab ullo Societatis homine offensio data sit, atque alias homines Societatis multa in laudem aliarum Famili-

miliarum, ut notum est, & ipse fatetur, conscripserint; propter rem talem, in qua Author nihil unquam injuriæ, aut contumeliæ inferre ne per somnium cogitavit, & quæ ne quidem digna erat, ut vel os aperiretur, aut certe privata querimonia penitus abstergi poterat, ad extremum fœdissimumque, quo amplius facere non poterat, medium convolaverit: Quale judicium!

6. Quod talem Virum, quem & ipse novit, & apud omnes summos æque, ac infimos, Religiosos ac seculares etiam Viros principes magno in honore & æstimatione versari vidit; quem sciebat & a sanctimonia vitæ, & a prudentia in paucis conspicuum fuisse, atque demum in fama sanctitatis cum insigni virtutum posthuma memoria obijisse; hunc inquam, talem ac tantum virum ipse juvenaster, & vix eruditionis alicujus tinctura, aut superficie potius, infectus hunc, inquam, ausus sit; tam fœdis tam probrosis & pudendis, & plane irreligiosis modis proscindere. Quale judicium!

7. Quod de tali viro tam abominanda sibi persuaserit, & crediderit; verba illius, non in quibus fuerint circumstantijs, aut quem in finem, prolata, consideraverit, sed ea, ut secundum se, & nude apparent, pessimum in sensum acceperit. Quod in mentem inducere potuerit, Virum adeo conspicuum, & in rebus ejuscemodi apprime versatum, adeo dementem extitisse, ut idem jam affirmaret, jam negaret, suaderet, dissuaderet, cujus adeo (ipso alijsque, qui cum noverunt, conscijs) sapiens & iusta erat vivendi, agendi, loquendique ratio, cum sibi persuadere potuerit, voluisse non uni tantum homini, sed universis Religiosis Ordinibus detrahere, eos infamare, calumniari voluisse: eum, qui innumerabiles alijs Religionibus allegavit Candidatos, atque hoc

hoc

hoc in sua institutione ante omnia egerit, ut iuvenes cum omni indifferencia de Statu deligendo deliberarent, spectantes unice DEUM animæque suæ salutem, hunc inquam, credere potuerit, voluisse pias mentes ab alijs Religionibus abstrahere, quale iudicium!

8. Quod ob unius, si quæ fuisset, hominis noxam universum Societatis Corpus in invidiam vocare, animos committere, discordiam cum alijs Religiosis & Sacris Statibus, cum Catholicorum scandalo, & plausu Aatholicorum inducere & fovere; eorum famam & existimationem, tantum ut suam rabiem exfaciaret, objectis gravissimis contumelijs, *colluviem hominum, depeculatores Monasteriorum, accusatores parachorum, Christianos idololatrias, Socios non JESU, sed Confucij, sed diaboli,* & quæ sunt alia, seu vetera, toties recocta, seu nova & mendacia singulis fere paginis appellando, lædere & convellere voluerit, quale iudicium!

9. Quod in talibus horrendis, quæ dixi, præcipuam argumentorum vim collocaverit, in talibus inquam, quæ nullus hominum sana mente præditus sibi in mentem venire, aut, ut credat a se impetrare poterit, in talibus, inquam, præcipuum robur Scriptionis suæ posuerit, adeoque si speravit, se apud prudentes fidem inventurum, quale iudicium! Si calumniari duntaxat voluit, ex diabolico illo principio: *calumniare semper aliquid hæret:* Si, inquam, calumniari tantum voluit, quale rursus iudicium!

10. Si, quod potius credo, plausum apud nonnullos capravit, si hac via mundo innotescere quæsit, cum rem & modum scriptionis ita instituerit, ut quisque prudens, etiam secularis, etiam Aatholicus iudicare debeat, hunc non esse modum scribendi moderatum, non veritatis unius studio

dio laborantem, non stylum literatorum (qui ingenio, non affectibus certant) sed hominis in ultionem, in vulnus ac dolorem inferendum unice intenti. Quale iudicium!

11. Quod si se talem Virum existimavit, ut sibi Societatem universam contemptui habendam, nullum ejus scriptorem extimescendum, nullam ei vim ad infringenda, repellendaque sua argumenta, suppedituram putaret, aut arbitraretur omnes abjectis clypeo & hasta, ceu elingues attonitosque istiusmodi omnia impune laturos, aut certe, si praevidit, Jesuitas adeo facta, atque ignominiosa, omnique aequitati famaeque, quae ijs ad DFI gloriam summe necessaria est, adeo adversantia perpetuo silentio concocturos, nihilo tamen minus eos ultro pulsandos, vulnereque tam acerbo, & fera vix oblivione delendo percellendos ducebat; quale hoc iudicium!

12. Quod ijs identidem beneficia in Societatem ab suo Sancto Ordine profecta, dulces cibos comestos, fundata, aut ornata Collegia, favoresque alios infinite exprobraverit; ingrati animi, quod gravissimum vitium est, eos accessiverit; ingrati animi, quod gravissimum vitium est, eos accessiverit; injurias ab ijs & contumelias in locum referendae gratiae redhiberi, atque hoc ab unius Viri voces innocentissime prolatae clamaverit, jactaverit, inculcaverit: Quale tandem hoc iudicium!

13. Quod Societatis obsequia qualiacunque (quae necesse non est referre) obsequia tamen, quae Societas in Status alios Religiosos quotidie seu confert, seu conferre conatur, atque in ipsum, ut diffiteri nequit, nonnulla certe contulit; Quod animum Societatis, quem habet omnibus gratificandi commodandique seu molestissima Scholarum professione, seu institutione privata, & consilij seu famam,
 incre-

incrementa, felicemque progressum statum omnium Sacrorum omni ope & occasione promovendo, nullique unquam ex proposito aut mente Societatis derogando, quod hæc inquam omnia qualiacunque in se & alios merita prælevi illo, quod sibi finxit piaculo, aut non viderit, aut videre noluerit, ut ijs omnibus insuper habitis Societatem petendam conspurcandamque putaret. Quale iudicium!

14. Quod vulnere tam atroci semel inflictio, perque modestiam ac silentium tolerato, nulloque ultionis genere repenso non contentus, secundum atque iteratum priore factus aut ipse, quod omnia probant, ingesserit; aut subiecto ipse fomite inflammaverit, materiam, stylum, modum large innegabiliterque contulerit; signum alioqui talium opprobriorum ipse sustulerit, speciemque præ se ferat mentis nequidem deinceps in melius revocandæ. Quale iudicium! quale iudicium! quale iudicium!

15. Quod cum ex ipso Jesuitarum silentio potuerit manifeste advertere, quam inviti sint ad similia iurgia, merito magis ad calumnias aut contumelias in Ordinem quempiam inferendas, cumque palpare potuerit, quod si Author habuisset hoc propositum, ut alijs Religionibus detraheret, id non tam minute, non tam perfunctorie & strictim, sed longe copiosius ac uberius, additis rationibus, exemplis, exprobrationibus uti ipsi Mellito solenne fuit, perficere potuisset, & vero etiam fecisset; Hoc tamen nequaquam fecerit, sed obiter tantum summa, quæ ad deliberationem necessaria videbantur, capita attigerit. Hoc, inquam, cum Mellitus viderit, aut certe videre potuerit, hoc tamen non obstante, cum ut aliarum Religionum ex instituto & proposito calumniatorem & infamatorem traduxerit. Quale iudicium!

16. Quod

16. Quod cum viderit & audierit tot candidatos per Authorem ad varias Religiones, etiam Benedictinam promotos, tamen vel ipse crediderit, vel alijs fucum facere, palpumque obtrudere voluerit, ceu hoc unice intendisset, juvenes a Religiosis statibus avertere & absterere; Quale iudicium!

17. Quod cum legerit in libello non tantum incommoda & vituperium olentia, considerationi proposita, verum etiam alia in laudem & æstimationem, eaque longe posteriora, majorique numero ac momento, noluerit ad modum loquendi problematicum, seu rationum *pro & contra* considerativum advertere, sed maluerit virum omni fama & exceptione majorem, mente captum, insanum, vertiginosum, incogitantem appellare: Quale iudicium!

18. Quod considerationes ab Authore modo problematico propositas appellet *assertiones* ipsius, *effata*, *pronunciata*, tanquam ipse ea revera affirmando protulerit, alijs credenda persuadere voluerit, Hæreticorum venenata in Religiosos Ordines maledicta approbaverit; Quale iudicium!

19. Quod ex tam heteroclitico, & præter omne iudicium statuto principio ad illationes tanto abnormiores, demeriores, exorbitantesque proruperit, quæ fidem omnem sani hominis superant, e. g. fuisse *Socium hæreticorum in calumniandis Religiosis*, fuisse *calumniatorem Pontificum, Imperatorum, Regum, Archi - Episcoporum*, qui Religionem, si superis placet, adeo perditam, pestilentemque, qualem fingit ab Authore depictam, in terris suis æquo animo tolerare, quin & favoribus impertiri sustineant: præterea fæditatem Religionum eum in locum adduxisse, ut

eas nemo Adolescentum salva conscientia inire, aut amplecti possit; quod hæc & similia Corollaria sine numero ex verbis innocentissime scriptis Mellitus expulserit. Quale, obsecro, iudicium?

10. Quod, postquam Virum innoxium Sanctumque, Societatemque universam tam atrociter læsit, ultionem, quam minime debebat, & sumpsit, & tali modo sumpsit, qui nec moderatum secularem, taceo, Religiosum deceret; Quod, cum tam inique rem egerit, ut iniquius agere non potuerit, tum proscindendo per semetipsum, tum alios ad hoc ipsam omni ope incitando, hæc, inquam, cum fecerit, audeat tamen vir scilicet insons de injuria conqueri, quin audeat adhuc etiam satisfactionem exposcere dira quæque interminari, atque huc denique studium suum conferre, neque alia ratione incommodis Societati timendis consultum iri dicere, quam si libellus, id est, *monstruosus vertiginosi capitis partus publice, atque orbe reſte, manu Carnificis in rogo concremetur.* Cogitent, quæſo, cogitent viri vel mica salis & prudentiæ imbuti: Quale hoc demum iudicium! quale iudicium!

Miserear? an indignor? nescio: Id certe agendum erat, ut larva detraheretur commentis tam ab omni ratione ac iudicio alienis, collocaretur in propatulo veritas, quorem non ijs umbris, quibus eam Mellitus offudit, obscuratam defædatamque, sed in luce sanæ rationis formaque non fictili, sed genuina ac propria omnes perspiciant, lapisque scandali, virusque simulatam, quod Mellitus, nescio, qua conscientia nullo certe iudicio in animos hominum DEO dicatorum infudit, exterminaretur. Quod utinam hoc meo qualicumque conatu assequar: quo fiat, ut consepultis ijs, quæ per unius hominis inquietam insatiabilemque Satyrarum condendarum, discordiæque provocandæ accendendæque

dæque libidinem, coeptæ, instauratæque sunt calumniæ, pristina redeat animorum malaria, junctis viribus adversus DEI & Ecclesiæ hostes, militiam Domini Religiosæ acies administrent, omnibusque, qui hocce præcipue tempore strenuus ad repellendas adversariorum artes subsidij indigemus, auxilium ex conspiratione scedereque Religiosorum Ordinum proveniat. Ad quod impetrandum duo admodum erunt necessaria : primum, ut ipsi Religiosorum Coetuum præfecti ac præsules, ejusmodi subditos tempore heu non suo! existentes, & parum recte intra orbitam gradientes pacis publicæ, caritatisque Religiosæ turbatores idoneis remedijs compescant:

Quæ oratio ad te, præcipue pertinet, Religiosæ pacis Angele. Dabis hoc paci tranquillitæque publicæ, dabis ædificationi Catholicorum, quos ejusmodi Religiosorum heu! parum convenientia jurgia incredibiliter offendunt, triumphantibus mirum in modum, atque sibi in nos mittentibus hæreticis, quod nos præcipue, qui inter eos degimus, experiri quotidie debemus. Dabis hoc famæ honorique Sanctissimi Celeberrimique Ordinis, quem tute intelligis exorbitantibus istiusmodi consilij adeo parum ornari, ut plurimam etiam apud multos æquitatis amantes loquendi materiam præbeat. Dabis hoc voto aliorum ex eo Ordine conspicuorum rectorumque Virorum, quibus, ut mihi met ipsi sincere candideque confessi sunt, nihil antiquius, quam pacem colere, nihil contra funestius tristiusque, quam talia vel audire: Age, hominem talium procellarum Authorem ad officium revoca: Sentiat se sub Superiore, sub Regula Sanctissimi Patriarchæ vivere, doceatur manum & consilia cum ijs (qui citra omnem rectæ conscientiæ normam in Sanctissimam Religionem, cujus laboribus Catholica res non modicam partem nititur, calumnias & mendacia congerunt) non conjugere; abstineatur a propagando sufflan-

O 2

doque,

doque, quod ipse succendit, incendio, neve afferat viris æqui bonique amantibus defensionis suscipiendæ necessitatem, quin adstringatur ab abolenda præteritorum velligia, redintegrandamque illam, quam Christus Religiosis præcipue Viris ultima voluntate contradicit, pacem ac dilectionem, dum ait: Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos: Quo alioque facile pro tua sapientia perspicere potes, mala non mediocria inde promanatura, timendumque, ne posteriora fiant deteriora prioribus.

Alterum, quod ad rem pertinere plurimum arbitror, est, ut vestram causam, Religiosissimi Viri e Societate Jesu, vestram, inquam, causam, quæ, quantum eam causa Ecclesiæ conjuncta sit, nos admodum multis in partibus experimur, famam vestram ne adeo deseratis; tollite demum oculos, silentium vestrum, quo nihil demum, nisi ignominiam vestram, & Catholicorum mœrorem lucrifecistis, rumpite; hominum ora, qui patientia vestra in Ecclesiæ, ædificationisque publicæ detrimentum abutuntur, vestra, qua polletis, hac in arena dexteritate prudentiaque obstruite: neve putetis, contempta, neglectuque omnia transigi, possessionemque nominis vestri, quam perditæ quique labefactatæ eunt, sola modestia sustineri. Quam etsi ferream in vobis, insuperabilemque sæpenumero admiratus sum, maximique, ut decuit, feci, sunt tamen, qui eam longe, quam putetis, secus interpretentur, pars dissidentia, pars etiam conscientia tribuentes. Interest Ecclesiæ, pacisque publicæ, vos hac in parte nequaquam cessare, non mutuo aspicere, & arcanis ad superos suspiriis confecta putare omnia. Cautius, mihi credite, laceissent, quos ad vim repellendam non nimium cunctantes invenerint.

Cæterum, quod vos in causa vestra omittendum existimatis, ego, qui scio, quam multis titulis id me facere oportebat, a me impetrare non potui, ut æquitati & læsæ
& silenti

& silenti officium oppellæ meæ qualicumque deesse paterer
 Stylum arripui, insolentiamque e regulis prudentiæ mode-
 rationisque castigandam suscepi. Tibi porro, Mellite,
 denuncio; receptui cum emissarijs tuis cane: Quodsi ul-
 terius nugari pergas non jam Societatis JESU causam, sed
 meam ipsius non obiter, ut nunc feci, instar velitis acturus
 sum, sed acie, si opus sit, in arenam descensurus, neque tan-
 tum illius temporis, ut modo, sed integrum stipendium in te
 conveniendum collocaturus; atque cum tu adeo pensi non
 habueris, Societatem JESU renovata crambe, objectis-
 que probris appetere, garrindi libertate summa, tu mihi da-
 tam pariter libertatem scias, tibi talia cantandi, taliaque pro-
 ducendi anecdota, queis ambæ tuæ aures tinniant. Quod
 non Idcirco a me dictum puta, tanquam aut verear scriptio-
 nem tuam, aut pacto silentij, si religio te non coerceat, ex
 me obstringi velim. Perge, si lubet; experiere. Tecum enim
 certare inter nugamenta deputo, ut qui desertus ab argu-
 mentis, vox es prætereaque nihil; atque, nequid sanum a
 te prodeat, fumo prius omnia corrumpis. Cæterum mor-
 bidis illis, quos ægro rabidoque animo effudisti, libellis ma-
 ture, quod aliis ejuscemodi hucusque contigit, locum re-
 quietis procura, monumentum conde, ego inscriptionem
 addam vulgarem illam & notam, sed unice
 huc factam.



O 3

Hic

Hic jacet Melliti progenies

Filius unus

alter Nepos

Expectantes judicium.

Passio concepit,

Imprudencia peperit.

Fumus aluit.

Patientia aliena educavit,

Veritas jugulavit,

Et redegit in umbras, ex quibus erant compacti.

Age Viator, & vel in umbris lege

Authoris umbrosi

Arrogantiam. Audaicam. Imprudentiam,

Quibus & ipse obscurissimus est

Et obscurator maledicus aliorum.

I, Viator, & ingemisce:

Quale judicium!

Per tales umbras velle clarescere.

CA-



CAPUT XXIX.

Admodum Venerandis Inclytæ So-
cietatis JESU Patribus, Eorumque
Fautoribus & Amicis.

Denique verissimum est, nihil esse rebus in humanis
egregium, quod suos non patiatur obrectatores,
Est hæc virtutis ordinaria & vetus merces, maledicentia,
Ipse Dei Filius, recti omnis atque boni præceptor & Dux
vix sese cætui mortalium intulit, cum appetitus undique
maledicorum linguis, positus erat in signum, cui contradi-
ceretur, in conditionem Magistri immigravere discipuli, qui
licet essent & institutione veritatis æternæ, & Spiritus San-
cti muneribus ad omnem sanctimoniam efformati, subiere
tamen eandem sortem, quam Christus: contumeliam pati.
Id ipsum omni ætate sunt Sanctissimi quique homines ex-
perti, adeo, ut fatali quadam lege, quemadmodum umbra
lucem, sic calumnia comitetur virtutem. Quo tamen nihil
commoveri debet moris humani gnara mens, quin illud
assidua cogitatione versare; Si mundus vos odit, scitote
quia me priorem vobis odio habuit. Si Patrem familias
Belzebug vocaverunt, quanto magis domesticos ejus: Si
O 4 de

de hoc mundo essetis, mundus, quod suum erat, diligeret; sed quia de mundo non estis, ideo odit vos mundus.

Ad vos imprimis hæc oratio pertinet Admodum Reverendi, atque Eximij Patres: Vos estis, qui cum in militiam JESU Christi nomina vestra dederitis, sitque deliberatum vobis, sub ejus cruentis signis stipendia facere, illo primum momento, quod ad isthoc vitæ genus animum adjecistis, cogitare debebatis, nullum esse calumniæ contumeliæque genus, quod vobis subeundam non sit. Et vero satis superque ab primis Societatis vestræ incunabilis ad hæc usque tempora documentum hujus fati dedistis, ab omni hominum genere extrema quæque perpassi. Ego certe cum diu multumque ab primis adolescentiæ annis in rerum gestarum commentarijs evolvendis essem versatus, post primum illud Apostolorum Collegium haud legi, in ullum hominum Coetum, quam in hanc JESU Societatem hæc duo copiosius convenisse: præclara facere, dura pati. Sustinuistis odia & furorem Hæreticorum atque gentilium: parum hoc; etiam Christianorum, etiam Catholicorum; sustinuistis odia & fannas vulgi: parum hoc: etiam Optimatum ac Principum. Tolerastis iras, opprobria, contumelias ab filijs hujus sæculi: Parum hoc, etiam ab Viris Deo Sacris, etiam ab hominibus Religiosis, tanta in caput vestrum, velut unanimi omnium conjuratione, ut nisi lux vestræ virtutis adeo esset orbi conspicua, adeo gesta præclara, adeo utilitates in omne genus hominum a vobis copiosæ manarent, perinde de vobis, atque de peste quadam orbis terrarum cogitare viri etiam Sapientes cogerentur.

Vix nata Societas vestra, cum ipso Ejus Sanctissimo Conditore adhuc in vivis agente, hostes in Hispania, in Italia sensit asperrimos: præter vincula & carceres, etiam libellis infamibus undique appetita, misereque profecissa. Vix ado-

adolevit sub Claudio Aquavia, cum ex Florentissimo Galliae Regno, ex Transylvania, ex Italiae parte projecta, praeter detrimenta famae, quae gravissima ab maledicis scriptoribus omni eo tempore subiit, rerum etiam reliquarum, quin & patriae fecit iacturam. Nec melior subeuntium conditio temporum; vix enim affulgebat lucis nonnullius aurora, cum eam nova exceptit clades: adeo fertili ad omne genus calumniarum invidia, ut demesso etiam uno alterove ac tertio capite, in nova identidem, queis adsibilaret infontem, venena pullularet.

Orta erat Sancta haec Societas, atque ab summis Pontificibus, ipsoque Tridenti Concilio mire probata; mox tamen invisa plurimis. Dedit operam, ut prodesset omnibus, sudore suo in exedris, in pulpitis, in sacris tribunalibus, in trugurijs, in nosocomijs, in carcerum ergastulis, quin & sanguine in aliorum salutem fuso, nihil tamen mansuefactus invidorum furor, nihil consopita calumnia, quin ex ipsis recte factis materiem sibi conderet maledictorum. In ipso ejus exortu erant, qui primam ejus integritatem arcesserent: iam tum nullius pretij Societas provehebatur annis: tum quoque apud multos nihil volebat Societas. Corroborabatur aetate; neque tum probata omnibus Societas: celebrabatur in templis facundia, in Scholis doctrina, in castris industria, in Aulis integritas, in omni loco vitae bonus odor; & tamen nullo apud plurimos erat loco Societas.

Atque ut ad haec, quibus vivimus, ingrata veniam tempora, existunt hujus Sanctissimae Societatis adeo egregia in omnem Rempublicam merita, ut nisi stuporem mentibus ipsi nostris induere velimus, ea quam solem meridiana, tam non videre nullo modo possimus. Quae urbs? quis locus? quae hominum conditio ab istorum virorum benefactis praeterita? Vos quoque, qui demumcunque sitis,

qui hujus Illustrissimi Coetus famam obscurare nitimini, unde demum id, quod habitis doctrinae, ornamentique, quod ostentatis, hausistis? Dicite; redite mecum, si lubet, ad illa, quibus aberat ab his terris Societas, ad illa, inquam seculi sexti & septimi decimi tempora; relegite, repetite monumenta. Qui tunc rerum status? quae conditio? qui homines? nolite, quaeso, vosmetipsos palpare, nolite morari veritatem. Scio: invidiosa loquor; attamen vera, attamen manifesta; & haec non nisi ferret necessitate adductus. Dabitis, credo, veniam non libertati scribendi, quae nulla est, meae, sed dolori amicorum provocato, tamque acerbe tamque inique provocato, ut si par pari referre, si talione uti vellem, ipsimet mirari merito possitis, me Societatis causa semel suscepta, necdum ad ea, quae petulans calamus ex adverso est ausus, uberioribus longe argumentis retorquenda profuisse. Abstinebo tantisper, donec adversarij siverint, Hoc interim ingrato non desinam exprobrare mundo, feris bestijs esse pejorem, ut qui merita ab his viris in ipsum quotidie profecta aut nolit agnoscere, aut agnita sustineat tam maligne pensare.

Ite invidi, ite maledici ad provincias, ad urbes & Catholicas, & heterodoxas; Quærite, quae pars Orbis ab Virorum istorum intacta sudoribus? parietes ipsi templorum, gymnasiolorum, carcerum, mapalium, testimonium disertum præbebunt. In Una Urbe Viennensi, quae me jam plures habet annos, qui fructus tum ij, qui omnibus patent, tum alij, qui sine arbitris per eorum Religiosa consilia proveniunt? Inspicite actiones ipsorum quotidianas, unice in bonum Republicae intentas. Incredibile dicam, verissimum tamen, ab unius Societatis JESU Hominibus Dominico quovis die allocutiones ad populum, ad Sodales, ad Coetus privatos ex praescripto haberi, si universe computentur, ultra quadraginta. Numerate conciones in templis Ejusdem

Societatis eo die haberi solitas, numerate institutiones Ca-
 thecheticas, numerate hæc ipsa in Basilica D. Stephani, in
 templis plurium Sanctimonialium, in nosodochio, in domo
 castigationis; numerate exhortationes in Oratorijs diver-
 sis, ad sodalitia, cœtusque hominum varios in Scholis sin-
 gulis & quem dixi numerum, haud operose colligetis,
 Nec nihili faciendæ excursions hebdomadariæ Tyronum
 in templa tum intra, extra Urbem, quos multi sæpe,
 cum æstu madidos, aut cœno ac pulvere obsitos viderent,
 non sine tenero animi sensu, cum suis Apostolici Zeli pri-
 mitijs redeuntes spectarunt. Sed ut nullum relin-
 quatur dubium, en Specimen
 dictorum.



CA-



CATALOGUS

Dictionum Apostolicarum

*Ab Jesuitis solis Viennæ fere quovis
die Dominico haberi Soli-
tarum.*

1. In Sacello Aulico Augustissimi,
2. In Sacello Aulico Augustissimæ Amaliæ.
3. In Basilica D. Stephani.
4. In Domo Professa Concio matutina.
5. In eadem Concio ordinaria circa meridiem.
6. In eadem a meridie Catechesis.
7. Ibidem Dictio in Congregatione Dominorum.
8. Ibidem Dictio in Congregatione civium.
9. Ibidem Dictio Italica.
10. Ibidem Dictio in Congregatione Cœlibum.
11. Ibidem Dictio in Congregatione Studiosorum.
12. Ibidem in Congregatione Tyrorum opificum.
13. Ibidem in Principijs
14. Ibidem in Parva Schola | mane Instructio Catechetica,
15. Instructio Catechetica in Domo correctionis.

16. In Templo Hospitalis civici aliquando per annum.
17. In Templo Collegij Concio ordinaria.
18. Ibidem a meridie Cathechesis.
19. Ibidem Dicitio in Congregatione majori Studiosorum.
20. Ibidem in Congregatione media Studiosorum.
21. Ibidem in Congregatione infima Studiosorum.
22. Ibidem in Grammatica
23. Ibidem in Principijs. } mane Instructio Cathechetica.
24. Ibidem in parva Scholæ. }
25. In Congregatione S. Barbaræ.
26. In Congregatione Seminaristarum.
27. Ad S. Laurentium Concio ordinaria.
28. In Templo S. Annæ Concio ordinaria.
29. Ibidem a meridie Cathechesis.
30. In Templo Ursularum Cathecheses, præter alias Con-
ciones ultra 40. per annum.
31. Item a Novitijs Cathechesis in Schola ad S. Stephanum
semel in hebdomade.
32. Item ab iisdem Die Dominico in Liechtentall.
33. Ab iisdem in Waring.
34. Ab iisdem in Erberg
35. Ab iisdem in Cœmeterio civico.
36. Ab iisdem in Urbis Leopoldinæ Templo.
37. Ab iisdem ad S. Florianum.
38. Ab iisdem in via regia.
39. Ab iisdem in Domo suburbana Starenbergica.
40. Ab iisdem in Allstergassen.
41. Ab iisdem in Laimbgruben.
42. Ab iisdem in Schola urbis Leopoldinæ.

Hæc ego ex certa tum mea notitia, tum fideli conscio-
rum relatione, tum publico urbis testimonio ut collegi, sic
cum ijs, qui bonis factis lætantur, communico; quæ cum
antea ego ipse nunquam cognossem, aut in animum revo-
casssem,

castem, si modo, cum recolo, lætitia afficior incredibili, reputans, hos Viros vere esse semen illud, cui benedixit Dominus : Ipsi, credo, Augustissimi, pientissimique Fundatores si a mortuis exurgerent, quanto perfunderentur solatio, intuentes liberalitatem suam tam utiliter, tam fructuose collocatam ! Felicissima profecto tempora nostra, quibus tanta bonorum præsidia contigere !

Nequaquam ego hic recitavi omnia : prætermisi dictiones diebus festis ex more perorari solitas : Majoribus Domini Sanctorumque solennitatibus plures etiam una eademque die. Omisi conciones fere quotidianas Quadragesimæ tempore in Templo Domus Professorum ; ac rursus Quadragesimales in æde Principe D. Stephani : In Sacellis aulicis, uti & ad S. Laurentium nonnunquam. Omisi Exhortationes diebus antecineralibus quotidie tres. Omisi eas, quæ haberi solent ob memoriam Agoniæ & mortis Domini. Omisi allocationes illas & frequentes & diturnas in *Exercitiarum*, ut vocant, functione pronunciarum consuetas ; omisi denique tres imo quatuor in missionibus semestribus quotidie dictiones. Quæ omnia, nisi livore & ægritudine maligna penitus contabescas, & mirari profecto debeas & extollere utius Ordinis in bonum animarum tam luculentos, tam uberes, tam copiosos labores. Quid si jam alia, quæ ab Viris istis in Rempublicam, in subsidia animarum conferuntur emolumenta, proferrem, si irem per singula, nonne vel ex his unis citra alia, argumentorum parerga, refutata languerunt omnia invidorum maledicta ? confunderentur odia ? obstruerentur ora perversa ? Certissimum manet Servatoris oraculum : Non potest arbor bona malus fructus facere, nec arbor mala bonus fructus facere.

Ite invidi, ite maledici ad Sacra tribunalia, quæ Viros istos diu fere noctuque exercent : ite invidi, ite maledici, ad Regiones illas duntaxat, quæ ditione Austriaca continentur.

tur. Expeditiones illas Apostolicas, quæ paucis adhinc annis in Austria, in Styria, in Tyroli in Hungaria sumptibus proprijs, labore sane Herculeo, peraguntur. Quo vero fructu? Ite, Inquire, vestigate, sciscitemini ex ipsis, qui interfuerunt, seu Auditoribus, seu Spectatoribus: Concurfus sæpe ad decem, nonnunquam ad viginti & ultra, ut certis testibus didici, hominum millia, quid rei sit, testabuntur.

Ite invidi, ite maledici ad castra militaria: quærite ex ipsis belli ductoribus, atque Magistris; Qui mores, quæ singularis integritas, quis Zelus Jesuitarum; quæ omnia, si alia desint, unum Serenissimi Ducis Eugenij sæpius auditum cum egregia laude testimonium comprobabit: Ite ad præsidia Hungarica & Dacica, quæ omnia & ministerijs, & mortibus Jesuiticis, quas seu ex gravi Cælo, seu potissimum ex virulentis militum ægrotorum halitibus contrahunt, identidem frequentantur. Viri ætatis mediæ, & sine Patriæ ad hæc aspera dimittuntur, præfente mortis imagine nihil ad obedientiam caritatemque infringendam valente. Et vero hanc puto causam esse, quod ex omni hominum genere Societas J E S U fere milites sibi omnium amicissimos habeat.

Nihil hic de Scholis, a quibus, quantum boni in rem communem proveniat, Viri docti tum seculares, tum Ecclesiastici, tum & plurimum Religiosi testantur. Erant, erant tempora, cum ante Societatis ad hanc Urbem adventum, vix esset unus aliquis, imo ne unus quidem annorum Vigin-ti spatio, qui Sacerdotio initiari, qui ad vineam Domini percolendam conducere sese pateretur. Erant tempora, cum pauci admodum hæc in urbe (ne de Provincijs quidquam pronanciem; monumenta revolvite) pauci, inquam superstites essent orthodoxi cives: Erant tempora, cum languerent monasteria, & (quod extremis digitis attingo) Personis mi-

mi-

minime vocatis habitarentur : Erat, erat, alia rerum facies, & fæda Religionis prolapsio, cum Societas in Germaniam atque in Austriam, in Urbem Viennensem in reliquas Provincias accita (si verum fateri volumus, si testibus omni exceptione majoribus, si Pontificis, si Episcoporum, si Historiarum testimonio, si Cæsarum Augustissimorum prædicationi credere) si usquam, in his certe terris columnen ipsi Religionis labentis, momentumque restitutæ potissimum fuit. Negate, invidi, si potestis, negate maledici,

Scio, quid dicant nonnulli : Veterem illam fuisse, quæ tanta patraverit non item hodiernam Societatem. Alios nunc causantur Jesuitarum mores, aliud vivendi, agendi, degendi genus : lapsas in deterius res, consenuisse virtutem, majoribus suis longe dissimilem. Ita illi quidem; qui cum alia non possint, annos seniumque accusant. Dicite vos mihi, qui quæ estis censuræ istius architecti : placent vobis Jesuitæ veteres ? at non placuerunt ijs, cum quibus vixerunt. Nulli majoribus proscissi calumnijs, quam Jesuitæ Veteres, adeo, ut millia aliquot satyrarum famosissimarum in eos conscripta hodieque supersint. Placent vobis Jesuitæ Veteres ? at ijs eadem plane objecta sunt, quæ hodiernis eademque cantilenæ cantatæ imo acerbiores longe, gravioresque; atque illæ naniæ, quæ Jesuitis hodie obgeruntur, non sunt illæ profecto novæ, aut hodie natæ, sed ex veteribus scrutis & retrimentis petitæ : Jesuitas vos veteres repetitis : at illi, qui tum vivebant, exoptavere novos ? Quorum, quæso, æquus votum ? Vestræ, an illorum querimoniam potius deferendum ? Hoc certus sum, vos amare veteres, non, quia meliores præsentibus, sed quia non sunt; pari in utrosque animo, ut & præsentibus fastidiatis, & præ veteribus, si redirent, novos rursus requireretis, isthuc demum desinente voto, ut cupiatis e rerum natura exturbatos utrosque: Non in Jesuitis, mihi credite, sed

sed in vobismetipsis est, quod causamini. Animus præoccupatus odio, & concepti semel idoli retinens, atque invidia rationem subigens, nullo Philosophiæ relicto loco.

Et quæso, quid tandem est, ob quod Societatem illam veterem præ hodierna commendandam putetis? Verbum illi Divinum populis annunciabant; annunciant & hodierni, & numero quidem frequentiore, quam illi. Docebant, instituebant illi; docent, instituunt etiam isti: Cedo functionem aliquam illorum, quam non obeant & isti. Si vero peculiaria de ijs, qui nunc sunt, Jesuitis audire cupias; interroga Jansenistas, quid in Ecclesiæ & Sedis Apostolicæ causa Jesuitæ novi? Sunt ij profecto hac adhuc ætate acies illa electa contra DEI & Ecclesiæ hostes accincta; sunt manipulus e numero fortissimorum illorum, qui ad thalamum Salomonis perennes agunt excubias, sic fere instituti, ut non alij prius edere soleant inimici subrepentis indicium.

Missiones Apostolicas illas, quas hodie tanta hominum frequentia fructuque his in terris peragunt, ignorare veteres.

Sacra illa tanto Nobilitatis utriusque sexus solatio & approbatione quotannis agitari solita piarum meditationum exercitia haud ita dudum ab nostratibus utique Jesuitis coepta meminimus.

Libellorum, doctrinam Fidei morumque, piasque preces continentium erecta pluribus in locis velut armamentaria, atque in usum publicum unice præparata non sane ab veteribus acceperunt. Qui vero fructus animorum? Dicent Pastores, dicent Patres familias, dicent ij, qui seu ab hæresi, seu moribus pravis, ad meliorem frugem sese horum subsidiorum ope rediisse testantur.

P

At

At si de conversionibus animorum sit quæstio, quod, quæso, gloriosius hodiernæ Societati nomen (id, quod veteres consequi minime potuere) quam Serenissimus Saxonæ Princeps Religioni Catholicæ opera certe nonnisi Jesuitarum adjunctus? Denique fateamur, necesse est, quod quotidie videmus Jesuitas ad ejus generis expeditiones & a summo Pontifice potissimum & ab alijs Episcopis ac Principibus deligi; hos in subsidium, hos in periculum rerum vocari. Atqui hodierni sunt, qui diliguntur, non veteres; hodierni, qui sic vocantur.

Hodierni sunt, qui, ut alibi dicebam, in Aulis Principum fere omnium, præclara approbatione versantur; hodierni sunt, e quorum numero tanti, quot nunquam antea, uno tempore in Purpuratorum Coëta visuntur; quæ res, quam ab ipsis expetita minime est, quin imo omni ope vitata, tam est hoc ipso fortius argumentum & præstantiæ ipsorum, & gravissimi de ipsis Sanctæ Sedis judicij.

Denique hodierni sunt Jesuitæ, quos ab Jansenistis, quos ab alijs (quos quid refert edicere?) & sæpe proscissos, & in crimen & in judicium vocatos, ad Sanctam Sedem sæpe sæpius quotannis delatos, apud Viros Principes innotis oneratos calumnijs, apud vulgus, apud probos quoque in invidiam, infamiamque vocatus & experimur, & oculis ipsis, auribusque sentimus quotidie; his tamen omnibus superiores eminentioresque procellis, & stare invictos & gloriam rerum suarum decusque innocentiae illibatum tueri: Quod (nisi me omnia fallunt) certe in tanta invidorum turba consequi nequaquam possent, si aut, in quibus accusantur, teneri, aut agnosci posset aliquid criminati subesse.

juvat hic quærere, quæ demum tantorum odiorum calumniarumque causa? sæpe ego magnos etiam Viros audivi

audivi, cum dicerent, mirari se, quid esset, quod, cum nihil admodum invenirent in Jesuitis noxæ, nihil injuriæ in rem seu publicam, seu privatam cujusquam, quin imo commoda utilitatesque quam plurimas; ipsos subvenire egenis, ipsos ægrotis; ipsos pestilentia tempore nullo non loco decumbentibus expositos; ipsos ea in cura haud paucis abhinc annis per Hungariam & Transylvaniam fere ad quadraginta gloriosam oppetisse mortem; ipsos in omnem opitulandi proximis occasionem intentos, vita & moribus alioqui integerrimis, nullo culpæ gravioris tolerato inter suos nomine, hæc ita cum essent, mirari sese dicebant, quid eos adeo multis invisos, plurimis minus gratos efficeret. Scelera & flagitia causantur maledici, more veteri pravorum hominum, deteriora credendi & loquendi. Quos equidem nihil moror, gnarus eum esse stylum seculi, ab ipsius Servatoris ætate adversum Sanctos quosque virus usitatum.

Philosophos ego illos admiror, qui cum vitam profiteri gestiant quodammodo stoicam, id est, in edito quodam rationis positam, humanisque perturbationibus exemptam, iidem tamen ab odio aut invidia tam agantur in transversum, ut cum nihil, quod valde reprehendant, inveniant, bonum tamen sensum de Viris insontibus a se impetrare nullo unquam tempore valeant; audire etiam avide prava, loqui enim vero deterrima, ea sæpe animi obcæcatione, ut cum omnia faciant ad famam Religiosissimi Ordinis profligandam, ipsi tamen & integra sese conscientia id agere, & acutos etiam esse in alienis noxis fingendis recitandisque arbitrentur. Quæ causa? quis stimulus hæc agendi?

Multi sunt hominum, etiam Religiosorum Cœtus, in quibus, si libeat maledicentiæ morem gerere, invenire possit, quæ late ampleque calumnia reprehendat. Nihil ego hic Jesuitarum gratiæ do; hoc tamen ajo, assentienturque tibi omnes, non esse omnium Jesuitas maxime reos. Certe

P 2

vita

vita ipsorum sanctissimis adstricta legibus, Superiorum vigilijs custodita adeo, ut sanum esse corpus necesse sit, in quo putridum nullum toleratur membrum. Tantum igitur abest, ut ipsos in reorum numero primos, ut ne ultimos statuere possim. Quid tamen causæ, quod ipsi ante alios ceteros fere præcipueque petantur?

Dicam, quod sentio. Si essent de turba, nemo eos impeteret. Eminent: Hinc invidia; deprimere cupiunt, qui calumniantur. Excellentia Jesuitarum, mihi credite, æmulis dolet; dolet æstimatione publica, dolet gloria factorum, dolet sapientiæ lux, qua in Orbe velut sidera majora effulgent. Quid jam mirum effundi in querelas eos, qui præ his contemni sese, secundumque sibi locum duntaxat relictum putant? Ipsa, credo, sidera, si loqui possent, obtrectarent soli, eique maculas, eclipfes, obscuraciones obijcerent: Minora sunt præ sole, ejusque luce sibi fieri contumeliam dicerent. Hæc vera denique causæ, hic fons, hæc origo odiorum fere omnium: hoc sibi molestissimum æstimationis publicæ umbraculum quoquo modo tolli, circumcidique omni ope nituntur. Ergo hoc consilio tendentibus nulla virtus sat innocens, nullum factum honorificum, nulla laus vera, nihil bonum piæque videtur, quin minimi quique nævi, scrupulique noxarum in montes excrefcunt gigantes. Sic oculo nequam omnia videntur turbida nebrofa.

Hic demum stimulus ille, atque pruritus arripiendi ansam quamlibet, unde teneri famam posse putaverint Jesuiticam, hac impetus irrumpendi in latus parte vel minima adaptatum: cujus rei exemplum in præsentibus, qua versamur, causæ sat manifestum aspeximus. Quam gestit, quam triumphat, quam erigit tollitque se homo vanissimus in propositionibus nonnullis innocentissime prolatis, quibus ille deprehendisse se Jesuitas, atque manifestos tenere existimavit.

In qua opinione cum homo hebes per ipsum Jesuitarum silentium, plus ac quisquam crederet, confirmaretur, insultare porro, & inequitare quasi subactis non erubuit, more plane colonorum, quibus ad modicum audaciæ successum ipsa subligacula per insolentiam intumescunt. Ergo jam circuit homo sui impos cum crepitaculis per omnes Religiosorum Ordinum cœtus, & male sanus cum sit, juxta viam suam ambulans omnes sui similes putat.

Sed dabis tu mihi noliger Rabula, quas merebere, si quidquam dehinc garrere sustinueris, pœnas. Aliud ego parallelum, quam tu, inter Jesuitas, & alios, quos tu minime velis, institutam; Videbimus, quis Metello innocentior sit futurus. Ostendam ego tibi causas donatorum Societati JESU bonorum quorundam, tuebor justitiam Augustissimorum Principum id procurantium, assensuque suo id confirmantium Pontificum: Inquiremus *nefas* illud, quod tu nomen quam stolide, tam audaciter ei translationi imponere es ausus.

Hæc ego tibi diserte prædixi & prædico, ut præsens & nunc absens, quoniam, si venero iterum, non parcam. Neque si viam tuam, qua a causa privata ad Religionis universæ convitium transgressus es, institero, mihi credo, ab Superioribus aut prælatis tuis vitio quidquam datum iri; ut qui eo ipso, quo tibi licentiam hæc talia in publicum effundendi permiserint, famæ videbuntur suorum voluisse cedere, veniamque dare, talione qua via possem, in causa, quam tutor, utendi. Ne tu bone Vir, aut, quisquis erit tui similis, vehementer errabit, si crediderit, ea lege modestiæ, qua Jesuitæ sunt hæctenus cum damno suo usi, me quoque fore devinctum. Agam, quod æquitas postulat, & quos Reos egeris, hos Actores præstabo. Si demum de integritate morum, de ædificatione vitæ, de noxarum modo extiterit quæstio, videbimus comparatione facta, quis ad remaptius, quis verius, graviusque sit peroratus.

Cæterum vobis, Admodum Reverendi Patres, hoc, quidquid est benevolentiae laborisque mei, dicatum propriamque habete, certi, me vobis etiam in modestia vestra obstinate durantibus, nullo unquam tempore defuturum. Ignotus ego forte vobis non homo, sed scriptor; mercede nulla, solo æquitatis veritatisque studio conductus, pace vestra, id enitar, innocentissimam Susannam, id est famam vestram, quæ vobis adeo non tam vestri, quam aliorum causa necessaria est, ab nefario conspurcatore, si Superi velint eliberem: Hoc in præsentis pollicitans; quod si homo male feriatum sit hæcenus a me cæsis flagellis, imposterum, si simile quid ausit, etiam Scorpionibus a me sit, quam vere vivo, cadendus. Igitur isthoc, quidquid est, obsequij, fideique meæ pignus sic accipite, ut acinctum ad pro vobis dimicandum patetis: Simul memores fabellæ illius ætopicæ, qua fertur Serpens a multis hominibus pessundatus, postulasse Jovem; a quo id audivit responsi: *Sed si eum, qui prior conculcavit, pupugisset, nequam id facere secundus fuisset aggressus.*





CAPUT XXX.

Ad Amplissimos Sapientissimosque Præsules Superiores Melliti.

Nihil in vos, nihil in Ordinem vestrum, nihil in æquitate[m] peccavi. Erit fortassis ex vobis ipsis, qui rerum libratis ad rationis libellum momentis (neque enim solus omnia poterit in tantis viris affectus) erit inquã, qui secum cogitet, statuatque, me fecisse officium Viri boni; causam, ut certe habui, dicat habuisse gravem, & justam; denique rati nem a me, qui hæc scripsi, stetisse: Ita est profecto: nisi hoc forsan existimet, omnia suis, quæcunque libuerit, in Jesuitarum opprobrium loqui, effundereque licere, Jesuitis eorumque Amicis unum ferendi tolerandæque locum relictam. Qua mente, cum neutiquam putem ullum vestrum existere, hoc certe cogitabitis, jus esse naturæ, quod veniam cunctis defendendi æquitatem dederit: Atque illud præterea intelligeris, non scriptationibus, non libellis omnia transigi. Nulli unquam suus defuit Rhadamantus. Suppetent, mihi credite, semper, qui clavum clavo retundant. Neque scriptoris unius bacchatio penum abecedariam exhauriet, quin alter existat, qui norit ex eodem furno sibi & scutum & tela procudere. Quid enim facilius, quam verbis remeriri verba? calu-

nij, si libeat, vocabulariam obgeminare ferulam? Hoc & vetulæ & pueri norunt. Quis tandem ex his ad extremum fructus? quis, nisi diffamatio mutua? animorum acerbitas? Dei & proximorum offensio? Minime autem, quod homo vanissimus vobis forte persuasit, Religionis vindicatio vestræ. Alijs longe modis honor æstimationeque Religionum curatur: factis, inquam, factis, non verbis; reclusis operum, atque imprimis virtutum modestiæ, caritatis, industriæ exemplis; qua in re ipsa JESU Societas documento est, quæ licet millibus aliquot ignominiosorum scriptorum exagitata sit hæcenus, viget tamen, floretque in hominum potiorum si non amore, at certe æstimatione, ipsa quippe virtute, atque factis egregijs sustinentibus famam. Quo mihi vanissime, atque omnino ridicule facere videntur ij, qui præcellentiam suæ Religionis per verba & argumenta scripta conantur adstruere, similes illi militi, qui in prælio confisus se fortissimum omnium verbis bene multis prædicabat, cum hi, qui audiebant, voces quidem intelligerent, sed potissimum argumentorum pondus, id est, facta requirerent; frustra requirent; frustra crocodilus nobilitatem jactat; ex cute noscitur. Oculi sunt, qui convincunt; annorum quoque plurimum experientia, adversus quam & libelli, & tomi, & stomachationes, & scommata parum, aut ne vix quidquam valebunt.

Quam longe decoram magis Religiosis ordinibus, pacem & concordiam colere, donare invicem, si quis adversus aliquem habet querelam, potiores invicem arbitrari, quam illud alterum, quod Apostolus queritur: *Cum sit inter vos Zelus & contentio, nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis? cum enim quis dicat; ego quidem sum Pauli (Benedicti) alius autem: ego Apollonis (Ignatij) nonne homines estis? Quid igitur est Benedictus? Quid vero Ignatius? Minister ejus, cui credidistis. Unusquisque autem propriam mercedem accipiet*

piet secundum suum laborem. Cor. 1. c. 3. Me certe, si quos etiam Religiosorum miracula patrans viderem, tali tamen loquendi scribendive modo suum nullo unquam tempore facerent; Quin identidem illud animo recurreret, ejusmodi Carnales esse, & secundum hominem ambulare.

Nihil quidem de me interest vestra; tamen meminere- ritis, cum quanto sensu, quam exigua sit primus Melliti par- tus annis abhinc aliquot ab Excellentissimis Tribunalium Præ- sidibus approbatione susceptus, haud abs re detestantibus, ut par erat, illam pacis inter Religiosos Ordines tempore prorsus alieno perturbationem, quam etiam, ut quomodo- cunque sopirent, boni Societatis JESU Patres, etsi acriter læsi, tamen sibi suisque silentium imperaverunt: Quo sane satisfactum vobis abunde esse Amplissimi Antistites, si qua etiam extitisset in vos injuria, par erat existimare; & sense- ritis hoc ipsum, opinor, consiliumque ceperitis, cum viris de vobis vestroque Ordine non deterrima meritis in vete- rem redeundi gratiam, nisi incendiarius fuisset, qui fomitem favillæ jam confidenti sine fine subjiceret. Quæ res, ut est hominibus moderatis, rationemque ante odium habentibus visa plane indignissima, tam in omnibus admirationem commovit, esse aut ignoratam a Vigilantissimis Viris, aut si cognita fuit, non interdictam; cum tanta esset ex adver- so modestia Jesuitarum, ut eam Viri etiam probi propemo- dum accusarent inertix.

Plane res eo videtur provecta, ut consputare bonos Viros quilibet impune triobolarius audeat, ex ipsorum patientia suæ stultitiæ struens trophæum. Ego certe sic reputo, minimeque fallor: Quod si Jesuitæ eam sibi in alios Religiosos Ordines permitterent cavillandi, scriben- dique licentiam; si quam sunt periti, tam essent ad par pari referendum præcipites; verbo, modestia eos Reli- giosa & vere Jesuitica cœrceret, profecto, nisi me lux ista,
 P 5
 qua

qua teste hæc scribo, deludat, nunquam ego reor facile exiturum aliquem, qui non hecatombas bonæ fortunæ faceret, quam ad eos ea amo lacessendos descenderet. Quo magis indignum est amplissimi Præsules, ab homine vestro, qui æstimator debebat, imitatorque esse modestiæ & virtutis tam exiguum haberi honorem, ut abati etiam, & insultare licentissime ausit. Quæ quo turpiora sunt (quæ sunt certe turpissima) hoc minus adducor, ut credam, vobis, Amplissimi Domini, conscijs, hæc talia ab homine vestro esse patrata. Subreptionem existimo, casum puto. Quid mirum? assiduis gravissimisque negotijs irruentibus identidem in fores vestras, præ quorum turba aut non licuit in ista leviora intendere, aut si licuit, de prudentia judicioque hominis annosi meliora vobis, & merito, persuadebatis. Recte Apostolus *Vaniloquos* conjungit cum *inobedientibus*: sunt multi, inquit, *inobedientes & vaniloqui*; ceu diceret, vaniloquos esse, quia inobedientes, quia indomiti, quia effrænes, & intra limites Religiosi Officij nulla Præpositorum suorum reverentia se coerceri sinentes. Quo plane convincor, nihil esse in vobis, Præsules, aut noxæ aut incogitantia; Quin lugere vos, atque ingemiſcere super insolentiam istam atque exorbitantiam credo.

Verum enimvero cogitate & Æschini profuisse ad dicendi audaciam, aures patientes Philippi. Hoc etiam orare, hoc obsecrare licebit, ut cogitetis, si hominibus societatis ea daretur ab suis Præpositis impunitas, ut ab offensione privata calamum transferrent ad ordinem universum, si ea de coetibus alienis consuerentur, quæ non inquirentibus etiam de his, illis, alijs sæpissime ingeruntur in aures, ut talia ultro ac de industria conquirentur, si referrentur in commentarios, si examinarentur magna & parva, si mores singulorum revocarentur ad lydium, si ad hæc emoverentur e latebris seu nova, seu antiqua, seu vera, seu verisimilia, si iretur per monumenta & archivia, si præterea vis adhiberetur

retur ingenij ad illa etiam, quæ recte habent, sugillanda, si a superficie tenderetur ad arcana, ut mos est pravorum hominum, conjectanda; Si per professam inimicitiam operaretur in corradendis undeunde ad infamandum subsidijs, si occasiones & tempora & studium concinnandis talibus collocaretur si præter hæc asperaretur, aut acueretur stylus: Si, quod appellatur debilitas, appellaretur infania; si, quod vocatur Zelus, diceretur Stupor; si, quod inconsiderantia nominatur, pronunciaretur hæresis; si, quæ sunt aut recta, aut minus nota, per tubam dicerentur in publicum (cui enim inclamari non possit; homo es? nemo immunis a peccato, ne infans quidem unius diei: atque septies in die cadit justus) si hæc, inquam, Jesuitæ in subsidium talionis vocarent, cogitate, quæso, Amplissimi Viri, quam amplam messem & scribendi, & condendi tomos, & implendi bibliothecas haberent: Quo vero sensu vestro? Quo Ordinis vestri honore? Quo omnium rubore?

Hoc vos procul dabo ab Jesuitis fieri posse nunquam credetis; utique nec ego credo: Sed quid si facerent? Si Superiorum gratijs ea facere liceret? Si, ut est omnium gravissimus dolor, jure uterentur naturæ? Si Melliti privilegium usurparent? Quid inquam, si hæc fierent? In quo tandem tribunali causam calumniæ agerent? Provocati sunt, irritati sunt, læsi sunt, & impune quidem læsi sunt, tam acerbe, tam indigne, tam pertinaciter, ut nullos videatur calumnijs satiatus furor. Bruta igitur animantia aut stiptes, qui sensum non habens, Jesuitæ putandi? Quam nihil est, ut de Sapiencia æquitateque vestra, Amplissimi Viri, dubitem, tam absum, ut credam, vos Jesuitis, si jure suo uterentur, succensendum putare. Non facient tamen (audeo prædem agere) non facient; anue propterea hoc amplius appetendi? indignissima profecto collectio ac plane delira: Non facient Jesuitæ, non ulciscuntur: Ergo tanto acrius violandi, tanto pejus urgendi. Patienter ferent, ergo

cal-

calcentur : obmutescant, ergo tondeantur, deglubantur, crucifigantur : Quis orbis terrarum, in quo hæc Dialectica, nedum apud Religiosos, apud Viros in caritatem, in mansuetudinem Christi juratos?

Nihil exaggero, nihil orationi do : Sic re ipsa fit ; Sic agitur, sic stylus fert, ut apparet, hodierna. Quid volumus ? facta ipsa demonstrant, experientia quotidiana docet, dolore vestro Jesuitæ didicistis. Habetis viros non tot, quin plures, qui licentiam, dicacitatemque Melliti sexcenties obruerent, qui non tantum Penates tueri suos, sed in castra etiam aliena pavorem & stragem scribendo possent inferre : continentur, vetantur imperio propemodum Manliano, patique coguntur circumstrepentes atque insultantes impune Sycophantas, illum unum sane difficilem, attamen pretiosum ferentes fructum : ex ipsis calumnijs testimonium certum virtutis : quippe non ingererentur, si non tam modeste tolerarentur. Ergo ipso, quo calumniaris, maledice, confiteris viros esse modestos & quod sincera Discipulorum Christi nota est, Segnes injuriarum ultores.

Sed ego, quam institueram, sum longius disputando proventus : igitur ad Vos, Amplissimi Domini, me rursus convertito : Agite, obsequimini providentiæ vestræ, jus obedientiæ, quod audio apud Vos Sacrosanctum esse, in pacem & concordiam publicam tuendam conferte. Quod si est quidquam ex ijs, quæ dixi, asperius dictum (Quid autem asperum comparatione eorum, quæ tam licenter excreavit Mellitus?) Si vobis hæc ipsa, quæ me ad hunc stylum adegit, necessitas doluit, cogitate causam hujus necessitatis non defendentem, sed aggredientem, atque iterato aggredientem fuisse, cui merito dixero : *factus sum insipiens : tu me cœgisti.* Cor. 2. 3. Cogitate rursus & modum, quo scripsi, & modum, quo scribere potuissem :
Nihil

Nihil ego de Ordine vestro, nisi cum Veneratione summa: nihil de quoquam alio Ordinis Vestri membro, nedum de Viro quopiam præcellenti, aut Superiore; longissime plane ab eo, quod ausus est, Mellitus, ut qui & in universam JESU Societatem, & in Virum ejus Capitalementem, atque assiduis Præfecturis insignem, non extremis sane digitis, sed plane pugnis ac calcibus insiliit. Scripsi aliqua, quæ omitti vix poterant, attingi nonnulla manu levissima, cum potuissem in ijs plenis eloquentiæ velis incedere; fixi nonnunquam ne nihil induratus sentiret, aculeum, sed caute, sed circumspicte, ijs tantum, quæ libellus tulit intensus, levioribus illis, atque obuijs, & sæpe ludicris, neque ad arcana aut tenebrosa famæ se penetrantibus; contra longe, quam Mellitus, qui famam & existimationem innocentissimi Viri, universæque Societatis, velut jecur Promethæi unguibus & rostro in morem vulturis laniavit. Quid autem ea, quæ scripsi ad ea, quæ pressi? ut proinde neminem ullum existimem fore, qui non tam, quod hæc, quod hoc modo scripserim, miretur, quam quod non acrius, quod non uberius scripserim.



CA-



CAPUT XXXI.

*Mellitus remittitur Domum cum
præceptionibus opportunis.*

DEnique ad te rursam Mellite : Vides hic fructum
consiliorum tuorum : Vides errorem tuum , quo
eras præventus , neminem videlicet fore, qui congruere
tecum auderet. Pellem leonis indueras, & jactando jubam
inter Jesuitas ceu minora animalia ferox spatiabaris , sed
jam, postquam vocem sustulisti, apparuit brevi, quis esses ;
irrisus, explosus es, exhibitatus una cum tuo trilo barytono.
Pone, pone, quæso, pone pellem leoninam, & cauda colle-
cta, domum tuam repeda. Habes, quod quæsis, & re-
sponsam & verbera. Factum bene. Erit forte, qui lavet
vulnera, & popismate mulceat : Sed erunt prudentiores,
qui tibi ciconiam pinsant, & indicem defricantes ostendant.
Ergo ictus jam tandem sapePhryx, & cum somnium ceperis,
hoc meum opusculum capiti pro pulvillo subjice : erit
fortassis, ut somnies meliora, neque luna tibi fiat posthac
incommoda. Hoc modo tecum amice : Vide sis, quæso,
quanta prudentia opus sit scriptori, ut famam, siquam ha-
bet, tueatur. Putabas tu per tuos apologos & dialogos uno
veluti saltu ad olympum gloriæ perventurum ; Quam contra

res cesserit, ipse ad te redisti, videre profecto debes. Certe omnes, qui inanitatem argumentorum tuorum, typhum scribendi, studium plane irreligiosum alienæ famæ detrahendi (sunt enim multi adhuc probi Christiani, quos sapius audies detestari penitus talia) luce clarius vident. Ingenium alioqui ostendisti nullum, ut qui in fundamento & capite causæ tuæ sis adeo palpabiliter hallucinatus; *Considerationes* sumendo pro *assertionibus*, *objectiones* pro *effatis*, neque modum illum considerandi problematicum, qui lippis ipsis & pueris apertus est, tota ingenij tui amplitudine comprehendere poteris. Et mihi alioqui ingenium tuum ex antiquo abunde notum est, quam sit exiguum, Hic obiter disce, quam gravem lapsum aberrationemque inducere nonnunquam possit imperitia dialecticæ; in qua cum adeo valde hospitem te in tuis argumentis ostenderis satis equidem capere non possum, te sine rubore virum (cui comparatus vix elementarius es) *peripsema Dialecticorum*, phi scomma pueris puerilius! appellare potuisse. Sed scilicet homo, qui sub ponte asinino natitat, pedagium verborum non solvit.

Verum enimvero, qui dialectis instrui a doctissimo Viro centies poteras elementis, maluisses tamen ab eo te alia didicisse, atque in primis humilitatem Religiosum, in cuius notitia tu bone Vir profecto, ut plane latine loquar, humilissimus, id est, infimus es. Ubi enim illi grilli tui, ille sædus invidiæ bubo, illi graculi thrasonici, illi famæ alienæ vultures, nisi in ramis tuis nidificant? Quid enim ad hæc tam vecordia te perpulit cœpta, nisi ambitio tua? tantillus aliquis inter eruditos apparere cœperas, accini tibi felix eugea quibusdam (ut mos est hominum liberalius, quam tu educatorum) audiebas, & continuo homo sidera feriens, meris *Egonibus* ebrius & sideratus ibas; *Ego* Oratius Melitus: *Ego* ille, cui omnes eruditi decedant: *Ego* decus hujus sæculi: *Ego* scientiarum florilegium: *Ego* alter Ma-
billo.

billonius : *Ego* thesaurarius literaturæ antiquæ : *Ego* Saturni & Evandri consiliarius : *Ego* scalpro & effigie dignus : *Ego* alpha & idolum, & Hermes Philologorum ; Quid Jesuitæ ? Quid Canonici ? Quid Petri ? Quid alij omnes ? *Ego* Jesuitarum Attila : *Ego* Nilus Europæ, ex quo omnes bibant, pyramidibus perinde ornandas, atque Nilus Egypti. Salve mi *Ego*, salve statua : non pyramis, quia acumen non habes. Salve Caput larvæ, cujus ingenium sustulerunt & occuparunt non fures, sed fures : cujus furei libelli planebelli, veri gemelli, uterque nigelli, alter cacabus est, alter olla fureum, unice facti ad denigrandos alios, & quia furei sunt, ad pascendos & recreandos coenophilos. Hem ! quam sum falsus ! utique insulsi sunt hi fures, saliantur. Denique salve mi *Ego*, qui tot præ te agis aurita animalia, quot tardos, calcitrososque phantasos, quot argumenta Bœotica : Si me inter illa reputes, non recuso : Stramentum mordeo. Stramen ? hoc de Viro tot tomis editis claro ? Parce, si dixerò de tomis tuis, quod multi : Stramentum domi, granum foris. Siquid bonum in tomis tuis, non tuo tamen natum in agro ; clitellas eruditi apellant, quas non capite & ingenio, sed dorso comportavisti. Tu tamen hac gloria clitellaria adeo tum es, adeo te circumspicis, adeo viæ tibi omnes angustæ, ut in plurimos importunus impingas, quin per nolam tuam clamorissimam hoc audes omnibus insonare : decedite. *Ego* Oratius Mellitus ingredior, *Ego* Tomifax, *Ego* Mabilionius, Salve mi Tomifax, salve Mabilioniaster ridicule, cui tomi per unam noctem nascuntur ut fungi ; crepitaculum Dodonæum, qui nil frequentius, quam tomos crepas, tomos justos, tomos decumanos, denique tomos, tomos, tomos : Dicas melius, quod alij : fungos, fungos, fungos, ex ambitionis tuæ putredine ubertim natos. Et hi tamen fungi subministrant tibi seu plecum pro libertate calumniandi, seu galeam pro gladiatione Cremsensium.

Mi Mellite, quid gloriaris tu tomis illis ? Quid gloriaris cornicula plumis alienis ? quid gloriaris, quasi non acceperis ? Quid denique gallina invento grano gloriaris ?

grano

grano gloriaris? granum invenisti: quæ inde gloria?
granum invenisti, an idcirco doctus? hoc & gallina cæca.
Granum invenisti, an idcirco Tomifax hoc & typothea,
hoc & glutinator librorum. Granum invenisti: felicem
te dico, non doctum; librarium non tomifacem. Quæ
igitur gloria? hæc una, quod sciamus, te invenisse: Bea-
ta sanè gallina: hoc ut sciremus, quid erat tanta opus glo-
citate? Non eras contentus nomen tuum in fronte libri
præscribere, addidisti & effigiem tuam: non eras conten-
tus effigie, nomen tuum antè singulas tripas magnifice re-
petisti: ubique: *Oratius Mellitus edidit, Orat: Mell:
e tenebris in lucem protraxit; Orat: Mell: cum Orbe com-
municabit*, & alia talia iterum atque iterum gloriatus, tan-
quam aut esset, ne hujus thesaurarij oblivisceremur, pericu-
lum, aut ingens, si oblivisceremur, piaculum. Repetisses
tu nomen tuum in singulis, credo, paginis, si modo scrutula
habuisses minora: cur, quæso, non totum integrum con-
das, in quo nihil præter nomen tuum perpetuo repetitum
ad modum litaniarum contineatur? addidisset ego tum
collectam. Quanta vanitas hominis! Habe, habe tibi hæc
gloriam gallina, quod grana nonnulla in bibliothecis benefi-
cio alieno inveneris: utinam rectè, & prudenter selegisses!
& non tam promiscuè confudisses omnia gravi burfarum tæ-
dio, vix ullo eruditionis compendio! felicitatem inventio-
nis imperitiâ delectus corrupisti: Sed nimirum non eras
aliter Tomifax futurus. Illa vero Isagoge, & alia, quæ de
tuo addidisti, ea (non mihi, sed eruditis, qui fere passim
id ajunt, crede) pleraque stramen sunt, quæ, si tanti esset
stramen triturare, facile demonstravero; usque adeò, ut de
summa loquendo denique verissimum sit, quod dixi: Stra-
men domi, granum foris. Nihil ingenij, nihil eruditionis
solida, quid dicam, Mabillonianæ? judicium apud omnes
exploditur; & hic tomifax Mabillonio se comparet? Sus Mi-
nervæ. Hic aliis insultet Viris eruditis & honoratis? hic Di-
ctatorem agat? hic tomos crepet? I, quæso, domum, &
illud capitis tui præcox pyrum in stramine tantisper repo-
ne, dum maturescat, & mitius fiat.

Q

Im-

Implevisti tomos tuos magnam partem descriptione itineris tui. Quid interest, nos scire tuum iter? Magnus tu hercle Vir, cujus omnia magna & parva nosse referat; planè Ulysses alter, cujus ambages & hospicia mereantur literis, si Deo placet, mandari. Sed, ut video, tomos ego de fungis scriberem, si fungos ineptiarum tuarum omnes persequi & colligere vellem.

Compendium fungorum habemus in effigie tua, quam tu etiam Imperatori es ausus offerre, eum utique in finem, ut te velut Apollinem Palatinum semper in conspectu & penetralibus habeat. Tanti ergo te aestimasti, ut dignum Casare donum putares effigiem tuam? Quis non rideat? Adeone abscondita sunt mundo, ut etiam in fronte libri explicanda duceres cornuta tua?

Abstinere non possum, quin paulisper coloribus indutis illuminem, ut dicitur, sculpturam tuam: forte sic & intellectum illuminabo tuum. Age, pingamus bellissimo picturæ genere, quod *miniaturam* vocant; totum Caput ex meris punctis gloriæ. In faciem tibi purpurissam inducerem, nisi ruborem maledicentiæ posuisses. Os tamen eruentum apparere debet, utique ob Jesuitas morsos & devoratos. Livor & fuligo tristis oculos, supercilia, frontem, & reliqua vultus habebunt, colores ægritudini mentis conformes. Non ruga, non cani, non alia maturitatis linea: addere possem alia, sed parco. Satis tu, credo, hunc in modum illuminatus, sperare jam poteris, te reponendum in thesauro Casareo: Hoc enim spectabas, quando omisâ etiam Monarchæ imagine, tuum idolum publico obtrudere, ipsi Principi teu munus Regium repræsentare non erubuiti: Sed mittamus hoc idolum potius Delphos ad oracula fundenda.

Vide mi Mellite, quàm festivè tecum ludere ad extremum libeat: vernus hic mos est; homines gloriosos traducere: Non facerem ego profecto, nisi ramos tuos adeo promitteres, ut omni ex parte possint prehendi. Sed satis ista. Hoc denique volo dicere: Humilitatem discite, modestè de te sentire, modestè de alijs loqui & scribere discite;
Quod

Quod n̄ feceris, & odium incurres (Deo enim & hominibus odibilis superbia) & famam, si quam forte collegisti, vel ventus auferet, vel fumus aduret.

Noli credere, mi Mellite Historicum studium, in quo tute triumphare te putas, omnem paginam in humanis facere; effode rudera, pace mea, atque utinam in his effodendis, & non in hauriendo cœno operam posuisses! Rectius profecto & prudentius tempora collocasses. Noli tamen putare, te ex ruderario ab omnibus scientijs continuè rudè donandum.


Videris tu mihi morbo laborare Thrasylli, qui cùm habitaret in Piræo, naves omnes, quæcunque illo in portu subducerentur, suas arbitrabatur, suumque in album referebat, varius in momenta; lætitiæque aut mœrore insaniens, pro quam salvas audiret, aut afflictas naves; vix à medicis tandem mori trophio eductus. Tu Mellite cùm sis tantillis infectus anecdotis, omnes tamen scientiarum onerarias tuum putas momordisse litus; Tu cum audis e. g. nomen antiquarij, te continuè nominari putas, ipsamque censeres argonavim tua prætulisse in suis velis insignia. Audis aliquem laudatum in Critica, tu illicò te Pharam aut colosum Rhodium hoc in genere ducis. Cùm Dialecticum aut Philosophum: & hi tibi naviculariam faciunt. Cùm Ascetam: tu portus & statio omnis Asceticæ. Cùm nominari in Theologia quempiam, & hanc navem denique tuam esse reputas. Nequaquam ego ista de te temerè: Ipse palàm hoc profiteris, cum summos etiam Viros, ut Lessium aliòsque in censuram vocare formica non erubescas. Ridiculè profecto, qui cùm omnes scientiarum naves tibi arroges, ne in una sis aliquid, nisi in illa, quæ Thrasylli aut Thrasones vehuntur, Lessij censor fabula Theologorum. Da specimen, da argumentum peritiæ tuæ: prome illiadem, si quam intra corticem tuum habes. Nihil inde hætenus, præter vermem gloriæ, prorepit in publicum. Hic demum libellus, quem scribo, navis est, mihi crede, quæ propriè ad te pertinet. Nam venit ex anticyra helleborum portans, & modios salis mille pro salienda insipida in Viros
ho-


honoratos critica tua. Contine te, quæso, intra limites ac portum tuum, intra rudera tua, & rebus ipsis te aliquid sapere, non verbis fumosis, non aliorum contumeliis, ostende. Ipsemet vides, quam tu inter rudera tua sis nudis Dialecticus, rudior Theologus, rudissimus, quod tamen maxime debebas esse, Asceta.


Laudo mi Mellite, laudo studium Historicum; Sed plus faciendum iudicium, sine quo Historia non testis est, sed dispendium temporum: plus facienda prudentia quæ unica seges est & fructus ex aratro proveniens Historico, plurimum denique facienda virtus Religiosa, atque in primis Caritas, quæ est vinculum perfectionis; de quo recte Apostolus I. Cor. 13. *Si linguis hominum loquar & Angelorum: Caritatem autem non habeam, factus sum velut aes sonans, & cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, & noverim mysteria omnia, & omnem scientiam, caritatem autem non habuero, nihil sum. Caritas non emulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non cogitat malum (non fovet umbras, non comminiscitur seculus, ubi nullum est; non eloquitur, non typis edit) non gaudet super iniquitate (alienam videlicet, quam non capere invenire, non mentitur inventam) congaudet autem veritati.* Claudio verbis aptissimis Jacobi Apostoli c. 3. *Si quis est sapiens & disciplinatus inter vos ostendat ex bona conversatione operationem suam in mansuetudine. Quod si Zelum amarum habetis, & contentiones sunt in cordibus vestris, nolite gloriari & mendaces esse adversus veritatem. Non est enim ista sapientia de sursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. Ubi enim Zelus & contentio, ibi inconstantia, & omne opus parvum. Quæ autem de sursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia & fructibus bonis, non iudicans, sine simulatione.*
*Fructus autem iustitia in pace seminatur,
facientibus pacem.*

ites
quid
ten-
Dia-
ma-

Sed
est,
qua
ico.
imis
po-
um:
ant,
obi-
au-
non
co-
sce-
non
pte
eri-
Si
ona
uod
bus
em.
er-
tio,
de
ade
mi-
ne,







Th
1394